QUAESTIONES GRAMMATICAE

AD

THUCYDIDEM PERTINENTES.

AUCTAS ET CORRECTAS ITERUM EDIDIT

Johann

IOANNES MATTHIAS STAHL.

LIPSIAE,

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXVI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

I.

Luculenter Madvigius, rerum grammaticarum acutissimus iudex, in Adversariis criticis I p. 162—182 docuit nudum aoristi infinitivum a dicendi aut putandi verbis pendentem ubique praeteriti vi instructum neque usquam ad futurum tempus referendum esse.[1]) Cuius argumenta quamquam eam vim habent ut de iis dubitare vix liceat, tamen inveteratos errores tollere tam difficile est ut operae pretium facturus esse mihi videar, si eam quaestionem, quatenus ad Thucydidem pertinet, ita retractaverim ut causis quas ille attulit alias addam quibus sententia eius confirmetur. Priusquam autem ad propositum accedam, pauca de ratione videntur praemonenda esse quam in eiusmodi quaestionibus sequendam esse ipsa earum natura docet. Fuerunt enim qui eam viam inirent ut veteribus scriptoribus ea in usu fuisse dicerent quorum causam satis probabilem sibi explorasse visi essent. Quam viam equidem a vero abducere credo. Cum enim ea sit linguarum natura ut a

---

1) Aliquot tamen locos pro corruptis Madvigius habet qui emendatione non egent. Nam quod in Soph. Ai. 1081 sqq. *ὅπου δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ' ἃ βούλεται παρῇ — ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν ποτὲ — ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν* male putat Hermannum aoristum *πεσεῖν* pro empirico accepisse, quod talis infinitivus aoristi non reperiatur, non modo participium aoristi hoc modo invenitur apud Th. I 122, 4. Aesch. Ag. 967, sed etiam ipsius infinitivi exemplum deprehendisse mihi visus sum in Hom. Od. III 318 sqq. *κεῖνος γὰρ νέον ἄλλοθεν εἰλήλουθεν — ἐκ τῶν ἀνθρώπων ὅθεν οὐκ ἔλποιτό γε θυμῷ — ἐλθέμεν ὅντινα πρῶτον ἀποσφήλωσιν ἄελλαι*; verto enim *ὅθεν . . . ἐλθέμεν* unde non crederet (modus potentialis praeteriti, de quo antiquiore optativi nudi et cum *ἄν* iuncti usu cf. Od. XIII 248. Il. I 232. IV 223. V 45. Herod. I 70. IX 71) redire solere. Deinde incorruptus est versus Eur. Or. 1527 *μῶρος εἶ δοκῶν με τλῆναι σὴν καθαιμάξαι δέρην*, i. e. stultus es, si putas me conatum esse (propositum habuisse) cervicem tuam cruentare. Hom. autem Od. IV 253 sq. *καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον — μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα μετὰ Τρώεσσ' ἀναφῆναι* eandem interpretationem habet atque Dem. XXIII 170, quo de loco infra p. 16 sermo erit. Ibidem dicetur de Lys. XIII 15. 47.

ratione quidem usus proficiscatur, neque tamen omnes quotquot fingi possunt cogitandi rationes dicendi usu exprimantur, primum quid scriptum sit sciendum est, deinde cur ita scriptum sit indagandum. Illud autem praeter veterum grammaticorum doctrinam aliunde fere cognosci nequit nisi ex librorum manu scriptorum memoria. At grammaticorum praecepta magis ex ipsorum arbitrio quam ex usu scriptorum diligenter observato fluxisse dicunt, librorum autem auctoritatem valde dubiam esse. Exempla enim de quibus agatur in terminationibus potissimum consistere quae velut — *σαι* — *σειν*, — *σασθαι* — *σεσθαι* propter errandi facilitatem tam saepe a librariis permutatae sint ut prorsus incertae sint fidei. Non nimis confidendum esse grammaticorum iudicio concedere oportet neque in singulis locis standum esse librorum auctoritate. At est quidam bonae aetatis librorum, si omnia spectamus, consensus minime neglegendus, a quo ubi receditur, iusta suspicionis causa est. Eum consensum locis numerandis facile ostendere licet. Praeterea maximi momenti sunt eae verborum formae quarum permutatio librariis non facilis erat. Eae enim ubi comparent, libri genuinam scripturam servare solent, iique loci pro fundamento quaestionis cuiusque habendi sunt. Normam igitur ad quam dicendi usum dirigamus hanc constituere licet ut quae paucis tantum locis praeter communem librorum consensum inveniantur neque in formis ad mutandum difficilibus appareant reicienda esse censeamus, ea autem pro vere traditis accipiamus in quibus librariorum incuria erratum esse non facile liceat cogitare.

Observatio qua Madvigii sententiam confirmaturi sumus ad enuntiata spectat condicionalia quae a verbo dicendi aut putandi pendeant. Quorum multa ita comparata sunt ut *ἄν* infinitivo, nisi is futuri temporis sit, additum esse oporteat. Ac primum quidem monendum est *ἄν* in enuntiatis aliunde pendentibus locum non habere, nisi ad verba dicendi putandi sentiendi pertineant, alienum esse ab iis quae aliud verbum sequantur. Sentiendi autem verbis, nisi cum *ὅτι* vel *ὡς* iunguntur, participium, putandi et dicendi verbis infinitivus aptus est. Eiusmodi enuntiata, si condicioni subiecta sunt quae nudo optativo enuntiatur, *ἄν* particula in infinitivis praesentis et aoristi carere plerumque non posse exempla docent. Sunt autem haec: I 10, 2 *Λακεδαιμονίων γὰρ εἰ ἡ πόλις ἐρημωθείη, λειφθείη δὲ τά τε ἱερὰ καὶ τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη, πολλὴν ἂν οἶμαι ἀπιστίαν τῆς δυνάμεως . . εἶναι*, 57, 5 *νομίζων, εἰ ξύμμαχα ταῦτα ἔχοι . ., ῥᾷον ἂν τὸν πόλεμον μετ' αὐτῶν ποιεῖσθαι*, 136, 4 *ἐκεῖνον δ' ἄν, εἰ ἐκδοίη αὐτόν, . . σωτηρίας ἂν τῆς*

ψυχῆς ἀποστερῆσαι, II 81, 5 *ἡγησάμενοι, μεμονωμένων εἰ κρατήσειαν, οὐκ ἂν ἔτι σφίσι τοὺς Ἕλληνας ὁμοίως προσελθεῖν*, III 30, 3 *εἰ οὖν προσπέσοιμεν ἄφνω τε καὶ νυκτός, ἐλπίζω μετὰ τῶν ἔνδον . . καταληφθῆναι ἂν τὰ πράγματα*, IV 31, 2 *ὃ ἐνόμιζον σφίσιν ὠφέλιμον ἂν εἶναι, εἰ καταλαμβάνοι ἀναχώρησις βιαιοτέρα*, 69, 1 *νομίζοντες, εἰ πρὶν ἐπιβοηθῆσαί τινας ἐξέλοιεν, θᾶσσον ἂν καὶ τὰ Μέγαρα προσχωρῆσαι*, V 8, 3 *εἰ γὰρ δείξειε τοῖς ἐναντίοις τό τε πλῆθος καὶ τὴν ὅπλισιν ἀναγκαίαν οὖσαν τῶν μεθ' ἑαυτοῦ, οὐκ ἂν ἡγεῖτο μᾶλλον περιγενέσθαι*, 8, 4 *οὐκ ἂν νομίζων αὐτοὺς ὁμοίως ἀπολαβεῖν αὖθις μεμονωμένους, εἰ τύχοι ἐλθοῦσα αὐτοῖς ἡ βοήθεια*, 32, 3 *εἰ σφίσιν προσγένοιτο, νομίζοντες ἅπασαν ἂν ἔχειν Πελοπόννησον*, 37, 2 *νομίζειν γὰρ ἂν τούτου προχωρήσαντος ῥᾳδίως ἤδη καὶ πολεμεῖν καὶ σπένδεσθαι καὶ πρὸς Λακεδαιμονίους, εἰ βούλοιντο, . . καὶ εἴ τινα πρὸς ἄλλον δέοι*, 39, 2 *ἐλπίζοντες οἱ Λακεδαιμόνιοι, εἰ Πάνακτον Ἀθηναῖοι παρὰ Βοιωτῶν ἀπολάβοιεν, κομίσασθαι ἂν αὐτοὶ Πύλον*, VI 11 2 *Σικελιῶται δ' ἄν μοι δοκοῦσιν . . καὶ ἔτι ἂν ἧσσον δεινοὶ ἡμῖν γενέσθαι, εἰ ἄρξειαν αὐτῶν Συρακόσιοι*, 28, 2 *νομίσαντες, εἰ αὐτὸν ἐξελάσειαν, πρῶτοι ἂν εἶναι*, 37, 2 *μόλις ἄν μοι δοκοῦσιν, εἰ πόλιν ἑτέραν τοσαύτην ὅσαι Συράκουσαί εἰσιν ἔλθοιεν ἔχοντες καὶ ὅμορον οἰκήσαντες τὸν πόλεμον ποιοῖντο, οὐκ ἂν παντάπασι διαφθαρῆναι*, VII 6, 4 *ἐκείνους τε καὶ παντάπασι ἀπεστερηκέναι* (i. e. spem ademisse[1])), *εἰ καὶ κρατοῖεν, μὴ ἂν ἔτι σφᾶς ἀποτειχίσαι*, VIII 47, 1 *πεῖσαι δ' ἂν ἐνόμιζε μάλιστα ἐκ τοῦ τοιούτου, εἰ Τισσαφέρνης φαίνοιτο αὐτῷ ἐπιτήδειος ὤν.* Idem in participiis valere apparet ex VI 64, 1 *εἰδότες οὐκ ἂν ὁμοίως δυνηθέντες, εἰ ἐκ τῶν νεῶν πρὸς παρεσκευασμένους ἐκβιβάζοιεν*, VII 42, 4 *ὁρῶν* . ., *εἰ κρατήσειέ τις τῶν τε Ἐπιπολῶν τῆς ἀναβάσεως καὶ αὖθις τοῦ ἐν αὐταῖς στρατοπέδου, ῥᾳδίως ἂν αὐτὸ ληφθέν.* Praeterea in sententia condicioni subiecta post *εἰ* cum optativo nudus futuri infinitivus aut participium ponitur. Cf. II 7, 3. III 62, 4. V 14, 3. 40, 2. VI 33, 2. 56, 3. VII 4 4. Ubi autem praeter futurum tempus *ἄν* abest, sententiam non ita ad condicionem referri apparet ut non valeat nisi ea impleta. In duobus enim quae exstant huius generis exemplis dubitationi non obnoxiis: IV 11, 4 *τριηραρχῶν γὰρ καὶ ὁρῶν τοῦ χωρίου χαλεποῦ ὄντος τοὺς τριηράρχους καὶ κυβερνήτας, εἴ πῃ καὶ δοκοίη δυνατὸν εἶναι σχεῖν, ἀποκνοῦντας καὶ φυλασσομένους τῶν νεῶν μὴ ξυντρίψωσιν* et VII 6, 1 *νομίζοντες, καὶ εἰ ἐκεῖνοι μὴ ἐθέλοιεν μάχης ἄρχειν, ἀναγκαῖον σφίσιν εἶναι μὴ περιορᾶν παροικοδομούμενον τὸ τεῖχος* vel

1) Similis emphasis exempla leguntur III 83, 4. V 40, 3. VIII 50, 4. Plat. Phaed. 75 b.

ex *καί* concessivo quod *εἰ* particulae additum est patet sententiam ad quam condicio spectat suapte etiam vi constare. Eadem omissi *ἄν* causa esse perspicitur VI 86, 5 *νομίσαι τε τοῖσδε μὲν καὶ ἄνευ ξυμμάχων αἰεὶ ἐφ' ὑμᾶς ἑτοίμην διὰ τὸ πλῆθος εἶναι ὁδόν*, ubi *ἄνευ ξυμμάχων* condicionis vice fungitur. Reliqua autem quae proferri possunt *ἄν* omissi exempla temporis etiam ratione, ut videbimus, suspecta sunt.

Neque aliter res se habet, si condicioni exprimendae *ἐάν* vel *ἤν* cum coniunctivo adhibetur. Nisi enim infinitivus futuri ponitur, cuius exempla afferre supersedeo, *ἄν* infinitivo (nam participii exempla apud Thucydidem non inveni) adiungi solet. Exempla huius generis haec sunt: IV 19, 2 *νομίζομέν τε τὰς μεγάλας ἔχθρας μάλιστ' ἂν διαλύεσθαι βεβαίως, οὐκ ἢν ἀνταμυνόμενός τις . . μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ξυμβῇ, ἀλλ' ἢν . . μετρίως ξυναλλαγῇ*, VI 49, 2 *αἰφνίδιοι δὲ ἢν προσπέσωσιν, . . . μάλιστ' ἂν σφεῖς περιγενέσθαι καὶ κατὰ πάντα ἂν αὐτοὺς ἐκφοβῆσαι*, 96, 1 *νομίσαντες, ἐὰν μὴ τῶν Ἐπιπολῶν κρατήσωσιν οἱ Ἀθηναῖοι, . . οὐκ ἂν ῥᾳδίως σφᾶς . . ἀποτειχισθῆναι.*[1]) Ubi *ἄν* omittitur, causa eius rei facile cognosci potest. IV 3, 3 *οἱ δὲ πολλὰς ἔφασαν εἶναι ἄκρας ἐρήμους τῆς Πελοποννήσου, ἢν βούληται καταλαμβάνων τὴν πόλιν δαπανᾶν* sententia ad quam condicio spectat praeter eam suapte vi constat. Aliter comparatus est locus VI 49, 2 *τὸ γὰρ πρῶτον πᾶν στράτευμα δεινότατον εἶναι· ἢν δὲ χρονίσῃ πρὶν ἐς ὄψιν ἐλθεῖν, τῇ γνώμῃ ἀναθαρσοῦντας ἀνθρώπους καὶ τῇ ὄψει καταφρονεῖν μᾶλλον.* Cum enim facile pateat in exemplis modo prolatis infinitivo cum *ἄν* in oratione obliqua posito respondere in oratione recta eiusdem temporis optativum cum *ἄν*, nudo infinitivo futuri eiusdem temporis indicativum, hoc loco sententia generalis in oratione recta indicativum praesentis postulat: *ἢν δὲ χρονίσῃ, ἄνθρωποι καταφρονοῦσι μᾶλλον.* Neque negari potest eadem ratione infinitivum condicioni nudo optativo enuntiatae subiectum *ἄν* particula carere posse. De re praeterita enim in sententia generali optativo Graeci utuntur. Itaque VIII 66, 2 *εἰ δέ τις καὶ ἀντείποι, εὐθὺς . . ἐτεθνήκει* in oratione obliqua hanc formam indueret *εἰ δέ τις καὶ ἀντείποι, ἔλεγεν εὐθὺς αὐτὸν τεθνηκέναι.* Neque aliter res se habet, si talis optativus obliquus est pro coniunctivo generali positus, cui generi adscribere licet exemplum IV 11, 4 alia de causa supra allatum,

---

1) Alienum est VII 77, 6 *ἢν ἀντιλαβώμεθά του φιλίου χωρίου . . ., ἤδη νομίζετε ἐν τῷ ἐχυρῷ εἶναι*, ubi condicio non ad *ἐν τῷ ἐχυρῷ εἶναι*, sed ad *νομίζετε* refertur.

ubi oratio recta *ἥν πη καὶ δοκῇ δυνατὸν εἶναι σχεῖν, ἀποκνοῦσι* postulat. Hic igitur duabus de causis *ἄν* abesse debet. Quod igitur his locis ne oratio quidem recta in apodosi *ἄν* admittit, idem in reliqua omissi *ἄν* exempla valet. Adscribam ea in orationem rectam conversa: IV 3, 3 *πολλαί εἰσιν ἄκραι ἐρῆμοι τῆς Πελοποννήσου, ἥν βούληται καταλαμβάνων τὴν πόλιν δαπανᾶν*, VII 6, 1 *καὶ ἢν ἐκεῖνοι μὴ ἐθέλωσι μάχης ἄρχειν, ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐστιν μὴ περιορᾶν παροικοδομούμενον τὸ τεῖχος.*

Similem vim atque *ἐάν* cum coniunctivo habet *εἰ* cum indicativo futuri. Infinitivus futuri in enuntiato a verbo putandi vel dicendi pendente sequitur III 32, 2. IV 120, 3 (cum Kruegero *εἴ τε τεθήσεται* legendum est) VIII 86, 7 aliisque locis, *ἄν* cum inf. praes. hoc: VI 34, 2 *εἰ τάδε προήσονται, κἂν σφεῖς ἐν πόνῳ εἶναι.* Diversum autem est VIII 45, 5 *τὰς δ' ἄλλας πόλεις ἔφη ἀδικεῖν . ., εἰ μὴ καὶ νῦν τοσαῦτα . . ἐθελήσουσιν ἐσφέρειν.* Nam cum urbes pecuniam non dare paratae sint, sed postulent (4), revera iniuste iam agunt, qua iniuria desistent, si contribuere voluerint. Itaque quod iniuste agunt non omnino ab apposita condicione repetendum est, sed praeter eam etiam vim habet. Cf. VI 80, 3 *μαρτυρόμεθα ἅμα, εἰ μὴ πείσομεν, ὅτι ἐπιβουλευόμεθα μὲν ὑπὸ Ἰώνων ἀεὶ πολεμίων, προδιδόμεθα δὲ ὑπὸ ὑμῶν Δωριῆς Δωριέων.*[1]) Aliter iudicandum est de VI 87, 4 *διὰ τὸ ἑτοίμην ὑπεῖναι ἐλπίδα τῷ μὲν ἀντιτυχεῖν ἐπικουρίας ἀφ' ἡμῶν, τῷ δέ, εἰ ἥξομεν, μὴ ἀδεὲς εἶναι* (sic legendum esse puto deleto *κινδυνεύειν* quod sequitur). Nam infinitivi non a tota locutione *ὑπεῖναι ἐλπίδα* pendent, sed nihil nisi sententiam substantivi *ἐλπίδα* ita complent ut id ipsum quod speretur nulla alia ratione habita significetur. Quare *ἐλπίς ἐστι σωθῆναι* Eur. Or. 779 pariter dicitur atque *ἐλπίς ἐστι σωτηρίας.* Similiter *εἰκός ἐστι* apud Thucydidem neque infinitivus futuri neque infinitivus cum *ἄν* sequitur, cuius rei causa inde repetenda est quod illud proprie non putandi vim habet, sed d e c e t, c o n v e n i t significat. Dicitur igitur de rei per se probabilitate temporis et condicionis significatione omissa. Cf. V 102.

1) Huc non pertinet VI 6, 2 *λέγοντες . . ., εἰ Συρακόσιοι . . . ἀτιμώρητοι γενήσονται καὶ . . . τὴν ἅπασαν δύναμιν τῆς Σικελίας σχήσουσι, κίνδυνον εἶναι· μή ποτε . . . καὶ τὴν ἐκείνων δύναμιν ξυγκαθέλωσι,* cum condicio non ad *κίνδυνον εἶναι*, sed ad *μή ποτε . . . ξυγκαθέλωσι* referatur. Neque magis VI 91, 4 *ὥστε μὴ περὶ τῆς Σικελίας τις οἰέσθω μόνον βουλεύειν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς Πελοποννήσου, εἰ μὴ ποιήσετε τάδε ἐν τάχει* infinitivus *βουλεύειν* condicioni subicitur, sed sententia *περί* praepositione expressa, qua adhibita significatur actum fore non solum de Sicilia, sed etiam de Peloponneso, nisi celeriter haec faciant.

VIII 86, 7. Ad id quod quaerimus non pertinet V 104 *χαλεπὸν . . νομίζομεν . ., εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ἔσται ἀγωνίζεσθαι*, ubi condicio ad *χαλεπόν* spectat, ad quod verbum subaudiendum est. Cf. VII 44, 4 *καὶ εἰ φίλιον εἴη τῶν ἤδη πάλιν φευγόντων, πολέμιον ἐνόμιζον*, VIII 81, 1 *νομίζων μόνην σωτηρίαν, εἰ Τισσαφέρνη αὐτοῖς μεταστήσειεν ἀπὸ Πελοποννησίων*.

Restant ea enuntiata ubi condicioni significandae *εἰ* cum indicativo praesentis vel praeteriti adhibetur. Mitto tamen ea in quibus condicionem non impleri indicatur, cui subiectam sententiam in oratione pendenti infinitivo aut participio praesentis vel aoristi cum *ἄν* exprimi constat. Reliqua exempla haec sunt: I 72, 2 *ἔφασαν βούλεσθαι καὶ αὐτοὶ ἐς τὸ πλῆθος αὐτῶν εἰπεῖν, εἴ τι μὴ ἀποκωλύει*, III 32, 2 *ἔλεγον οὐ καλῶς τὴν Ἑλλάδα ἐλευθεροῦν αὐτόν, εἰ ἄνδρας διέφθειρεν οὔτε χεῖρας ἀνταιρομένους οὔτε πολεμίους* (hoc cum revera factum sit, *εἰ* prope *ὅτι* particulam accedit), 46, 2 *πολιορκίᾳ τε (τίνα οἴεσθε ἥντινα οὐ) παρατενεῖσθαι ἐς τοὔσχατον, εἰ τὸ αὐτὸ δύναται σχολῇ καὶ ταχὺ ξυμβῆναι*, 52, 2 *λέγοντα, εἰ βούλονται παραδοῦναι τὴν πόλιν . ., τούς τε ἀδίκους κολάσειν* (*κολάζειν* codd. emend. Krueger), *παρὰ δίκην δὲ οὐδένα*, V 41, 2 *εἰ βούλονται σπένδεσθαι ὥσπερ πρότερον, ἑτοῖμοι εἶναι*, VII 3, 1 *λέγοντα, εἰ βούλονται ἐξιέναι . ., ἑτοῖμος εἶναι σπένδεσθαι*, 49, 2 *εἰ δὲ δεῖ μὴ ἀπάγειν τὴν στρατιὰν . ., ἀλλὰ τρίβειν αὐτούς, ἔφη χρῆναι ἢ ἐς τὴν Θάψον ἀναστάντας τοῦτο ποιεῖν ἢ ἐς τὴν Κατάνην*; VIII 92, 10 *ὁ δὲ εἴπερ καὶ ἐκείνοις δοκεῖ καθαιρεῖν, καὶ ἑαυτῷ ἔφη ξυνδοκεῖν*.

Iam duo mihi effecisse videor. Cum enim in prolatis exemplis *εἰ* cum optativo ibi tantum appareat ubi in oratione recta scriptor eodem modo vel *ἐάν* cum coniunctivo uteretur (talia enim omnia eius generis esse perspicies, si attente ea consideraveris), sequitur indicativum *εἰ* particulae iunctum Thucydidem nusquam in oratione obliqua in optativum transtulisse. Neque ad solum Thucydidem, sed ad omnes scriptores haec norma applicatur excepto *εἰ* cum optativo futuri, quam structuram in oratione obliqua pro *εἰ* cum indicativo futuri ponere licet.[1]) Sed condicionis ita enuntiatae apud Thucydidem nullum exstat exemplum. Causa autem cur ita circumscripta sit condicionis obliquae enuntiatio in eo vertitur quod, si in temporibus praeter futurum optativus obliquus sententiarum condicionalium etiam pro indicativo esset, rectae orationis forma non posset satis dignosci; in futuro autem potest, cum hoc

1) Cf. Fassbaender de Optativo futuri (dissert. Monaster. typis expressa Lipsiae a. 1884) p. 34 sqq.

tempus coniunctivo careat. Quod igitur Madvigius in commentatione quam de locis aliquot syntaxis Graecae scripsit (Philol. II suppl. p. 19) de iis sententiis observavit quae condicionem veritati contrariam continent (cf. I 76, 1. III 11, 5. IV 27, 1. 40, 2. 104, 2. VI 55, 3. 61, 2), id praeter futurum in omnes valet in quibus condicio per indicativum enuntiatur. Deinde hoc evicimus, in enuntiatis a verbis dicendi et putandi pendentibus quae ad condicionem referantur cui exprimendae *εἰ* cum optativo vel *ἐάν* cum coniunctivo adhibitum sit aut infinitivum futuri poni aut *ἄν* infinitivo addi, nisi condicio generalis sit vel sententia ad quam spectat praeter eam etiam per se valeat. Eundem usum cognoscere licet ubi *εἰ* cum indicativo futuri locum habuit, praeterquam quod in hunc modum sententiae generali non aptum altera tantum exceptio cadit. Pro infinitivis futuri autem esse posse quosdam praesentis et perfecti infinitivos in vim futuri abeuntes infra videbimus.

His expositis hos locos emendandos esse apparet: IV 24, 4 *εἰ γὰρ κρατήσειαν τῷ ναυτικῷ, τὸ Ῥήγιον ἤλπιζον . . ῥᾳδίως χειρώσασθαι* (lege *χειρώσεσθαι*), 80, 1 *ἤλπιζον ἀποτρέψαι* (l. *ἀποτρέψειν*) *αὐτοὺς μάλιστα, εἰ ἀντιπαραλυποῖεν*, 86, 4 *οὐδὲ ἀσαφῆ* (l. *ἂν σαφῆ*. Cf. Annal. phil. 1870 p. 339) *τὴν ἐλευθερίαν νομίζω ἐπιφέρειν, εἰ τὸ πάτριον παρεὶς τὸ πλέον τοῖς ὀλίγοις ἢ τὸ ἔλασσον τοῖς πᾶσι δουλώσαιμι*, 117, 1 *νομίσαντες Ἀθηναῖοι μὲν οὐκ ἂν ἔτι τὸν Βρασίδαν σφῶν προσαποστῆσαι οὐδὲν . . . καὶ ἅμα, εἰ καλῶς σφίσιν ἔχοι, καὶ* (l. *κἂν*) *ξυμβῆναι τὰ πλείω*[1]), V 22, 1 *οὐκ ἔφασαν δέξασθαι* (l. *δέξεσθαι*), *ἢν μή τινας δικαιοτέρας τούτων ποιῶνται*, VI 24, 1 *νομίζων . ., εἰ ἀναγκάζοιτο στρατεύεσθαι, μάλιστα* (l. *μάλιστ' ἂν*) *οὕτως ἀσφαλῶς ἐκπλεῦσαι*, 40, 1 *ἡγησάμενοι τοῦτο μὲν ἂν καὶ ἴσον καὶ πλέον οἱ ἀγαθοὶ ὑμῶν μετασχεῖν, εἰ δὲ ἄλλα βουλήσεσθε, καὶ* (l. *κἂν*) *τοῦ παντὸς κινδυνεῦσαι στερηθῆναι.* Eiusdem rationis ea sunt ubi talis condicio ex superioribus repetenda est. Quare corrigendi sunt hi loci: VII 56, 2 *τούς τε γὰρ ἄλλους Ἕλληνας εὐθὺς τοὺς μὲν* (l. *μὲν ἂν*; nam subaudiendum est *εἰ δύναιντο κρατῆσαι*) *ἐλευθεροῦσθαι, τοὺς δὲ φόβου ἀπολύεσθαι*, VIII 27, 3 *καὶ τὴν πόλιν οὐ μόνον τῷ αἰσχρῷ, ἀλλὰ καὶ* (l. *κἂν*; nam subaudiendum est *ἢν ἡσσηθῶσι*) *τῷ μεγίστῳ κινδύνῳ περιπίπτειν.* Neque aliter res se habet, si eiusdem generis condicio participio exprimitur. Cum plurima eiusmodi exempla exstent, quae enumerare longum est, pau-

---

1) Cum hic et VI 40, 1, qui locus paulo post afferetur, propter interpositam condicionem molestissimum sit superius *ἄν* ad alterum quoque infinitivum referre, huic explicationi lenissimam mutationem praeferendam esse censemus.

cissimis tantum his *ἄν* deest: I 127, 1 *νομίζοντες ἐκπεσόντος αὐτοῦ* (*ἢν ἐκπέσῃ*), *ῥᾷον* (l. *ῥᾷον ἄν*) *σφίσι προχωρεῖν τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων*, II 3, 2 *ἐνόμισαν ἐπιθέμενοι* (*εἰ ἐπιθοῖντο*) *ῥᾳδίως κρατῆσαι* (*κρατήσειν* Aen. Tact. 2, 3), IV 52, 3 *καὶ κρατυνάμενοι* (*εἰ κρατύναιντο*) *αὐτήν* . ., *ῥᾳδίως* . . *τὰ* . . *πολίσματα χειρώσασθαι* (l. *χειρώσεσθαι*). Pariter statuendum est de iis locis ubi *οὕτω* vi condicionali praeditum idem atque *ἢν τοῦτο γένηται* vel *εἰ τοῦτο γένοιτο* significat. Cuius generis haec sunt: V 36, 1. VI 38, 4. 72, 5. 82, 3. VII 8, 2. 28, 4. VIII 48, 1. Cf. exempla orationis rectae II 11, 5. III 42, 6. VI 91, 6. Quare VI 24, 1 etiam propter *οὕτως μάλιστ' ἄν* scribendum est. Et quamquam V 9, 8 *ἐλπὶς γὰρ μάλιστα αὐτοὺς οὕτω φοβηθῆναι* ex iis quae supra de VI 87, 4 diximus excusationem habet, tamen haud scio an perspicuitatis ratione *μάλιστ' ἄν* commendetur. Certum est eadem de causa emendandum esse III 46, 2 *ἐκείνως* (*εἰ ἐκεῖνο γένοιτο*) *δὲ τίνα οἴεσθε ἥντινα οὐκ ἄμεινον μὲν ἢ νῦν παρασκευάσασθαι* (l. *παρασκευάσεσθαι*), quo de loco olim non recte contra Classenum disputavi in Annal. phil. 1868 p. 110. Neque dubitari potest quin *ἄν* addendum sit V 36, 1 *ἑλέσθαι γὰρ* (l. *γὰρ ἄν*) *Λακεδαιμονίους* . . *Ἀργείους σφίσι φίλους καὶ ξυμμάχους γενέσθαι*, cum *οὕτω* in superiore enuntiato vi condicionali instructum huc quoque pertineat. Thucydidem enim *ἄν* cogitando suppleri voluisse non credo, quamquam id in talibus locis fieri posse Frohberger in Phil. XIX p. 599 sqq. probare studuit. Nam apud illum quidem omnibus reliquis eiusmodi locis sat multis *ἄν* adest. Cf. IV 24, 2. 29, 3. 78, 4. V 22, 2. 60, 5. VI 49, 2. 64, 1. 96, 1. VIII 87, 4.

Iam eo unde profecti sumus redeundum est. Deductis enim iis locis in quibus nudus infinitivus aoristi cui futuri vim tribuant etiam propter appositam condicionem suspectus est, paucissimi tantum restant et qui tritissimis scribendi vitiis conspicui facili negotio emendari possint. Duo reliqui sunt loci ubi post *νομίζειν* infinitivus aoristi pro futuro sit: III 24, 1 *νομίζοντες ἥκιστα* (l. *ἥκιστ' ἄν*) *σφᾶς ταύτην αὐτοὺς ὑποτοπῆσαι τραπέσθαι τὴν ἐς τοὺς πολεμίους*, VIII 5, 5 *ἐνόμιζε* . . *ἢ ζῶντα ἄξειν ἢ ἀποκτεῖναι* (l. *ἀποκτενεῖν*; cf. IV 28, 4), cum undecies praeteriti vim habeat (I 1, 2. 10, 3. 128, 1. III 65, 1. IV 63, 1. 116, 2. V 1, 1. 31, 5. VI 61, 5. VII 17, 3. 40, 2). Quadraginta locis *ἐλπίζειν* cum infinitivo futuri aut infinitivo aoristi cum *ἄν* coniunctum est (I 1, 1. 11, 1. 107, 4. 127, 2. II 7, 1. 11, 6. 20, 2. 53, 4. 75, 1. 84, 2. 90, 4. III 30, 2. 62, 4. IV 8, 4. 9, 3. 43, 5. 62, 3. 71, 2. 76, 5. 85, 2. 105, 1. V 7, 3. 9, 3. 28, 2. 39, 2.

40, 2. VI 15, 2. 20, 3. 56, 3. 71, 2. 90, 3. VII 38, 2. 61, 3. 73, 2. 77, 4. 80, 5. VIII 23, 4. 44, 1. 71, 1. 99, 1), quibus accedunt supra memorati IV 24, 1. 80, 1; duo restant qui nudum infinitivum aoristi habeant: IV 13, 1 *ἐλπίζοντες τὸ κατὰ τὸν λιμένα τεῖχος ὕψος μὲν ἔχον* (auctore Ullrichio pro *ἔχειν*), *ἀποβάσεως δὲ μάλιστα οὔσης ἑλεῖν* (l. *ἑλεῖν ἂν*) *μηχαναῖς* et VII 21, 2 *ἐλπίζειν γὰρ . . κατεργάσασθαι* (l. *κατεργάσεσθαι*). Duobus et viginti locis nudus infinitivus aoristi ex *δοκεῖν* putandi vi praedito aptus praeteriti temporis est (I 9, 1. 9, 3. 70, 1. 81, 5. 120, 5. II 8, 3. 17, 2. 21, 1. 62, 1. III 36, 2. 38, 6. 66, 2. 74, 3. V 7, 5. 72, 1. VI 18, 4. 24, 2. 61, 1. 88, 1. VIII 24, 5. 56, 3. 86, 4), unum IV 36, 1 *δοκεῖν βιάσασθαι* (l. *βιάσεσθαι*) leviter corruptum esse patet. Nemo iam quicquam librorum auctoritati tribuet, qui IV 28, 5 *ἢ Κλέωνος ἀπαλλαγήσεσθαι . . ἢ . . Λακεδαιμονίους σφίσι χειρώσασθαι* (l. *χειρώσεσθαι*) et VI 24, 4 *οἴσειν καὶ προσκτήσασθαι* (l. *προσκτήσεσθαι*) infinitivos futuri et aoristi iuxta ponunt. Ne autem cui scrupulum moveret III 96, 1 *χρησθὲν αὐτῷ ἐν Νεμέᾳ τοῦτο παθεῖν* prudenter cavit Madvigius Adv. crit. I p. 176, monens *χρῆν* verbum praecipiendi notionem, a qua profectum sit, retinere.[1])

Sed ne praesentis quidem nudus infinitivus omnino pro futuro esse potest. Nam corruptela laborare vidimus I 127, 1. VIII 27, 3. In magna exemplorum copia unum praeter I 127, 1 est ubi post *νομίζειν* eam ille vim habeat, sed nullius prorsus momenti: IV 127, 1 *νομίσαντες φεύγειν τε αὐτὸν καὶ καταλαβόντες διαφθείρειν*, ubi *διαφθερεῖν* legendum esse in aperto sit; deinde prorsus singulare est III 95, 1 *ἐδόκουν . . ξυστρατεύειν* (l. *ξυστρατεύσειν*) *ἢ κἂν βίᾳ προσαχθῆναι*, cum alius locus ubi post *δοκεῖν* infinitivus praesentis futuri vim habeat non exstet. Eodem modo sanandum est VIII 75, 2 *πολέμιοί τε ἔσεσθαι καὶ ἐπικηρυκεύεσθαι* (l. *ἐπικηρυκεύσεσθαι*) et III 52, 2, quem locum supra attulimus, *κολάσειν* corrigendum. III 66, 3 *τὴν περὶ αὐτῶν ἡμῖν μὴ κτείνειν ψευσθεῖσαν ὑπόσχεσιν* defendi quidem potest *κτείνειν* eadem ratione qua supra VI 87, 4 aoristi infinitivum post *ὑπεῖναι ἐλπίδα* explicavimus, sed probabilius videtur *κτενεῖν* emendare, praesertim cum *ὑπισχνεῖσθαι*, si promittere est, semper cum infinitivo futuri iungatur. Perperam igitur Classenus I 82, 4 *μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίσητε τὴν γῆν αὐτῶν ἢ ὅμηρον ἔχειν* ad futurum tempus

1) Cum dii eorumque vates quod futurum esse praesagiunt fieri iubeant, etiam ad alia vaticinandi verba, ut recte monet Madv., hic usus transfertur, eoque explicationem habent Hom. Il. XIII 667. Aesch. Prom. 667. Eur. Phoen. 1597. Iph. T. 1014.

ἔχειν rettulit. Nam etiam ante incursionem in Atticam factam Lacedaemoniis Atheniensium terra, cuius devastandae potestatem haberent, pro pignore erat ad flectendos eorum animos. Neque I 93, 2 *νομίζων . . αὐτοὺς ναυτικοὺς γεγενημένους μέγα προφέρειν ἐς τὸ κτήσασθαι δύναμιν* ad futurum tempus *προφέρειν* spectat, sed vertendum est: 'putans eos nauticos factos multum proficere ad potentiam sibi comparandam'. Neque enim tum primum Athenienses rei navali operam daturi erant, sed iam in pugna Salaminia maximam navium partem praebuerant (I 74, 1). Neque assentiendum est Th. Forssmanno, qui in G. Curtii Stud. gram. VI p. 62 sqq. infinitivum praesentis vim futuri ita habere posse affirmavit ut certus rei eventus significaretur. Quod enim eodem modo indicativus praesentis rei futurae exprimendae adhiberetur, hic causam non esse credidit cur is usus ab infinitivo praesentis alienus videretur. Ex duobus autem indicativi exemplis quae affert alterum VI 91, 3 sic legitur: *καὶ εἰ αὕτη ἡ πόλις ληφθήσεται, ἔχεται καὶ ἡ πᾶσα Σικελία.* Sed apparet hoc loco verbo *ἔχεται* rei perfectae statum describi, quippe cuius sensui respondeat ipsius verbi *λαμβάνειν* perfectum *εἴληπται*, non praesens *λαμβάνεται.* Quod si reputaveris, non poteris non concedere huius exempli eandem rationem esse atque eius quod est in Soph. Phil. 75: *εἴ με τόξων ἐγκρατὴς αἰσθήσεται, ὄλωλα*, quibus deinde futuro tempore usus poëta addit *καὶ σὲ προσδιαφθερῶ ξυνών.* Cf. Matth. Gram. § 500. Krueg. Gram. § 53, 3 adn. 4. Idem infinitivi perfecti usus apud Thuc. II 8, 4 *ἐν τούτῳ τε κεκωλῦσθαι ἐδόκει ἑκάστῳ τὰ πράγματα ᾧ μή τις αὐτός παρέσται.* Pari modo atque apud Thuc. VI 91, 3 *ἔχεται* in Eur. Androm. 381 *ἢν θάνῃς σύ, παῖς ὅδ' ἐκφεύγει μόρον* praesens *ἐκφεύγει* interpretandum est, quippe quod eadem perfecti vi praeditum sit qua alibi simplex *φεύγειν* (cf. Krueg. Gram. § 53, 1 adn. 3). Neque aliter *οἴχεται* Eur. Suppl. 712 *εἰ μὴ σχήσετε στερρὸν δόρυ — σπαρτῶν τόδ' ἀνδρῶν, οἴχεται τὰ Παλλάδος.* Et apud ipsum Thucydidem eadem ratione explicandum est I 143, 5 *κρατήσαντές τε γὰρ αὖθις οὐκ ἐλάσσοσι μαχούμεθα καὶ ἢν σφαλῶμεν, τὰ τῶν ξυμμάχων, ὅθεν ἰσχύομεν, προσαπόλλυται*, ubi *προσαπόλλυται* eiusdem temporis esse atque *μαχούμεθα* manifestum est. Nam *ὄλλυσθαι* eiusque composita saepius cum vi perfecti valere perisse sat multis exemplis demonstratur. Cf. Aesch. Ag. 528, ubi de Troia excisa dicitur *καὶ σπέρμα πάσης ἐξαπόλλυται χθονός*, Soph. OR. 799 *ἱκνοῦμαι τούσδε τοὺς χώρους ἐν οἷς — σὺ τὸν τύραννον τοῦτον ὄλλυσθαι λέγεις*, Arist. Pac. 355 *ἱκανὸν χρόνον ἀπολλύμεθα καὶ κατατετρίμμεθα.* Accedunt loci ubi pariter atque apud Thuc. I

143, 5 cum vi perfecti ad futurum tempus refertur: Eur. Hipp. 47 ἡ δ' εὐκλεὴς μέν, ἀλλ' ὅμως ἀπόλλυται, ubi ἀπόλλυται praegresso futuro κτενεῖ respondet, Arist. Pac. 250 ὡς ἀπόλλυσαι cum eodem sensu atque 243 ὡς ἀπολεῖσθε. Nihil igitur illud indicativi praesentis exemplum valet ad defendendum nudum infinitivum praesentis apud Thuc. I 127, 1 νομίζοντες ἐκπεσόντος αὐτοῦ ῥᾷον σφίσι προχωρεῖν τὰ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων, ubi ῥᾷον ἂν scribendum esse supra dixi; nihil etiam ad tuendum κολάζειν III 52, 2 εἰ βούλονται παραδοῦναι τὴν πόλιν . . ., τούς τε ἀδίκους κολάζειν, παρὰ δίκην δὲ οὐδένα, ubi Krueger κολάσειν optimo iure restituit. Et si illa dicendi ratione uti voluisset Thuc. VII 56, 2 νομίζοντες . . ., εἰ δύναιντο κρατῆσαι Ἀθηναίων . . ., καλὸν σφίσιν τὸ ἀγώνισμα φανεῖσθαι· τούς τε γὰρ ἄλλους Ἕλληνας εὐθὺς τοὺς μὲν ἐλευθεροῦσθαι, τοὺς δὲ φόβου ἀπολύεσθαι, ubi μὲν ἂν rescribendum esse supra docui, potius ἠλευθερῶσθαι et ἀπολελύσθαι scripsisset. Maxime autem aliena est ea interpretatio a praesenti διαφθείρειν IV 127, 1 νομίσαντες φεύγειν τε αὐτὸν καὶ καταλαβόντες διαφθείρειν, pro quo dubitari non potest quin Cobetus recte διαφθερεῖν restituerit, praesertim cum φεύγειν diversi temporis sit. Contra causam habet nudus infinitivus praesentis VII 8, 1 νομίζων ἐν δεινοῖς τε εἶναι καί, εἰ μὴ ὡς τάχιστα ἢ σφᾶς μεταπέμψουσιν ἢ ἄλλους μὴ ὀλίγους ἀποστελοῦσιν, οὐδεμίαν εἶναι σωτηρίαν, cum revera in praesenti nondum habeant quo se servent, sed tum demum habituri sint, si Niciae consilio Athenienses obtemperaverint. Atque prorsus eodem modo in Xenoph. Anab. VI 3, 12 legitur νομίζω δ' ἔγωγε, εἰ ἐκεῖνοι ἀπολοῦνται (= εἰ ἐκεῖνοι μὴ σωθήσονται), οὐδ' ἡμῖν εἶναι οὐδεμίαν σωτηρίαν. Neque magis alterum quod Forssmannus protulit exemplum I 121, 4 μιᾷ τε νίκῃ ναυμαχίας κατὰ τὸ εἰκὸς ἁλίσκονται huc pertinet. Si enim quae praecesserunt (ὑπολαβεῖν οἷοί τ' ἐσμὲν μισθῷ μείζονι τοὺς ξένους αὐτῶν ναυβάτας. ὠνητὴ γὰρ Ἀθηναίων ἡ δύναμις μᾶλλον ἢ οἰκεία· ἡ δὲ ἡμετέρα ἧσσον ἂν τοῦτο πάθοι . . .) consideraveris, praesentem rerum statum describi intelleges. Sententia igitur haec est: potestas Atheniensium ita comparata est ut una pugna navali deleri videatur. Huic tamen exemplo duo addenda sunt a Forssmanno omissa: IV 95, 2 ἢν νικήσωμεν, οὐ μή ποτε ὑμῖν Πελοποννήσιοι ἐς τὴν χώραν . . . ἐσβάλωσιν, ἐν δὲ μιᾷ μάχῃ τήνδε τε προσκτᾶσθε καὶ ἐκείνην μᾶλλον ἐλευθεροῦτε, V 98 πῶς οὐ πολεμώσεσθε αὐτούς, ὅταν ἐς τάδε βλέψαντες ἡγήσωνταί ποτε ὑμᾶς καὶ ἐπὶ σφᾶς ἥξειν; κἂν τούτῳ τί ἄλλο ἢ τοὺς μὲν ὑπάρχοντας πολεμίους μεγαλύνετε, τοὺς δὲ μηδὲ μελλήσαντας γενέσθαι ἄκοντας ἐπάγεσθε; Quibus hoc commune est ut res

cuius ipse effectus nullo temporis respectu declaretur cum ἐν praepositione enuntiata ne ipsa quidem ad certum quoddam tempus referatur. Nihil enim significatur nisi quid in ea re positum sit sive consistat. Cf. III 10, 1 ἐν γὰρ τῷ διαλλάσσοντι τῆς γνώμης καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν ἔργων καθίστανται. Eadem interpretatio etiam I 121, 4 locum habet, cum ibi quoque causae per se enuntiatae solus effectus indicetur. Atque hoc nomine haec tria exempla ab omnibus diversa sunt in quibus supra a librariis erratum esse significavimus. Restat unum indicativi praesentis exemplum in quo revera ad futurum tempus respici in propatulo sit. Etenim IV 10, 3 τοῦ . . . χωρίου τὸ δυσέμβατον . . . μενόντων μὲν ἡμῶν ξύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ καίπερ χαλεπὸν ὂν εὔπορον ἔσται, quidquid ceteroqui de loci integritate iudicatur, praesens γίγνεται et futurum ἔσται ita inter se referuntur ut ad idem tempus ea pertinere negari nequeat. Atque hanc praesentis γίγνεται futuro ἔσται respondentis inconcinnitatem (τὴν παρὰ τοὺς χρόνους τῶν ῥημάτων ἐκβεβηκυῖαν τὸ κατάλληλον φράσιν) Dionys. Hal. p. 801 (ed. Reisk.) vituperans his verbis designavit: τὸ μὲν γὰρ γίγνεται τοῦ παρόντος ἐστί, τὸ δὲ ἔσται τοῦ μέλλοντος χρόνου δηλωτικόν. Cum hoc autem loco componendus est Herodoteus VII 236 εἰ . . . τριηκοσίας (νέας) ἀποπέμψεις περιπλώειν Πελοπόννησον, ἀξιόμαχοί τοι γίνονται οἱ ἀντίπαλοι· ἁλὴς δὲ ἐὼν ὁ ναυτικὸς στρατὸς δυσμεταχείριστός τε αὐτοῖσι γίνεται καὶ ἀρχὴν οὐκ ἀξιόμαχοί τοι ἔσονται, ubi γίνονται eiusdem temporis est atque ἀποπέμψεις, γίνεται simillime atque in loco Thucydideo eiusdem cuius ἔσονται. Causa autem cur id quod fit hoc modo iuxta ponatur ei quod erit ex his ipsis locis certo cognoscitur. Quod enim fit non est, sed erit. Res comprobatur altero loco Herodoteo VII 10, 2 scripto: ἢν . . . νικήσαντες ναυμαχίῃ πλώωσι ἐς τὸν Ἑλλήσποντον καὶ ἔπειτεν λύσωσι τὴν γέφυραν, τοῦτο δή, βασιλεῦ, γίνεται δεινόν, ubi pro γίνεται licet ἔσται substituere. Neque aliter interpretandus est Antiph. III γ 11: καταλαβόντες μὲν γὰρ αὐτὸν . . . καθαροὶ τῶν ἐγκλημάτων ἔσεσθε, ἀπολύσαντες δὲ ὑπαίτιοι καθίστασθε, cum καθίστασθαι proxime ad γίγνεσθαι verbi sententiam accedat. Patet autem hunc indicativi praesentis usum posse applicari etiam eiusdem temporis infinitivo. Atque hoc quater apud Thucydidem factum est: II 84, 2 καὶ τὴν ἐπιχείρησιν ἐφ' ἑαυτῷ τε ἐνόμιζεν εἶναι, ὁπόταν βούληται, . . . καὶ τότε καλλίστην γίγνεσθαι, III 92, 4 οἱ Λακεδαιμόνιοι γνώμην εἶχον τὴν ἀποικίαν ἐκπέμπειν, τοῖς τε Τραχινίοις βουλόμενοι καὶ τοῖς Δωριεῦσι τιμωρεῖν. καὶ ἅμα τοῦ πρὸς Ἀθηναίους πολέμου καλῶς αὐτοῖς ἐδόκει ἡ πόλις καθίστασθαι, IV 9, 3 οὔτε γὰρ αὐτοὶ

ἐλπίζοντές ποτε ναυσὶ κρατηθήσεσθαι οὐκ ἰσχυρὸν ἐτείχιζον, ἐκείνοις τε βιαζομένοις τὴν ἀπόβασιν ἁλώσιμον τὸ χωρίον γίγνεσθαι, IV 24 4 εἰ γὰρ κρατήσειαν τῷ ναυτικῷ, τὸ Ῥήγιον ἤλπιζον . . . ῥᾳδίως χειρώσεσθαι, καὶ ἤδη σφῶν ἰσχυρὰ τὰ πράγματα γίγνεσθαι, ubi ad verbum γίγνεσθαι ex ἤλπιζον supra scripto ἐνόμιζον cogitando supplendum est. Pariter Xen. Anab. VI 1, 20 νομίζων καὶ τὴν τιμὴν μείζω οὕτως ἑαυτῷ γίγνεσθαι πρὸς τοὺς φίλους καὶ εἰς τὴν πόλιν τοὔνομα μεῖζον ἀφίξεσθαι αὐτοῦ. Omnibus autem his locis integra sententia pro praesenti γίγνεσθαι vel καθίστασθαι futurum ἔσεσθαι cogitare licet. Idem denique usus in participio praesentis comparet apud Herod. VII 8, 1 τοῦτο ἐφρόντιζον ὅκως μὴ λείψομαι τῶν πρότερον γενομένων ἐν τιμῇ τῇδε μηδὲ ἐλάσσω προσκτήσομαι δύναμιν Πέρσῃσι· φροντίζων δὲ εὑρίσκω ἅμα μὲν κῦδος ἡμῖν προσγινόμενον . . . ἅμα δὲ τιμωρίην τε καὶ τίσιν γινομένην. Cuius rationem non perspexisse Dionysium Hal. apparet, cum Thuc. IV 10, 3 vituperaret, quod praesens γίγνεται ad futurum ἔσται parum aptum esset. Neque magis idem hoc dicendi genus quale esset intellexit, cum p. 801 Thucydidem alio quoque loco praesenti tempore male usum esse doceret: De verbis enim II 39, 4 καίτοι εἰ ῥᾳθυμίᾳ μᾶλλον . . . ἐθέλομεν κινδυνεύειν, περιγίγνεται ἡμῖν τοῖς τε μέλλουσιν ἀλγεινοῖς μὴ προκάμνειν κ. τ. λ. haec monet: ἐνταῦθα γὰρ τὸ μὲν ἐθέλομεν[1]) ῥῆμα τοῦ μέλλοντός ἐστι χρόνου δηλωτικόν, τὸ δὲ περιγίγνεται τοῦ παρόντος· ἀκόλουθον δ' ἂν ἦν, εἰ συνέζευξε τῷ ἐθέλομεν τὸ περιέσται. Quibus quid voluerit satis in aperto est. Etenim τὸ κινδυνεύειν, quod in voluntate tantum esset, non in rerum veritate, futuri temporis esse putavit atque in apodosi futurum post εἰ ἐθέλομεν κινδυνεύειν non minus sermonis congruentia postulari quam si ἦν κινδυνεύωμεν scriptum esset. Neque sine omni causa hoc eum statuisse ostendunt Soph. Ant. 1039 τάφῳ δ' ἐκεῖνον οὐχὶ κρύψετε, — οὐδ' εἰ θέλουσ' οἱ Ζηνὸς αἰετοὶ βορὰν — φέρειν νιν ἁρπάζοντες ἐς Διὸς θρόνους, Plat. Prot. 324 a εἰ γὰρ ἐθέλεις ἐννοῆσαι . . ., αὐτό σε διδάξει, 342 d εἰ γὰρ ἐθέλει τις . . . συγγενέσθαι, . . . εὑρήσει. Veram tamen Thucydidis sententiam non plane perspexit, quae haec est: ʻeo quod (cf. III 9, 2. 32, 2. 43, 5. VII 34, 7. 67, 1) laeto animo propensi sumus ad pericula subeunda contingit nobis ut futuris calamitatibus, antequam acci-

---

1) Non dubitamus quin ipse Dionysius veram scripturam ἐθέλομεν in suo libro habuerit et ἐθέλοιμεν utroque loco (nam infra quoque sic legitur) illatum sit a librariis Byzantinis, qui Thucydidea apud Dionysium prope omnia ex depravatis Thucydidis codicibus quibus ipsi utebantur correxerunt.

derint, non affligamur. Sed etiamsi εἰ ἐθέλομεν κινδυνεύειν hic idem fere valeret atque ἢν κινδυνεύωμεν, propter ea quae modo exposuimus non iustior videri deberet eius vituperatio. Nam περιγίγνεσθαι hoc loco eadem ratione positum esset qua locis modo memoratis simplex γίγνεσθαι. Summa igitur huius disputationis haec est ut Thucydides, si praesens vi perfecti instructum praetermittamus, praesenti tempore pro futuro non usus esse censendus sit nisi in verbis quae aliquid fieri indicant, in quibus ipsis aliqua futurae rei notio lateat.[1])

---

1) Suam vim habet praesens in deorum et vatum praesagiis (Herod. VII 140. 141. VIII 77. Arist. Equ. 127. 129. 135 sq.), qui futura tanquam praesentia vident. Non ad futurum tempus spectat ἔρχονται Thuc. VI 40, 2 καὶ εἰ ἔρχονται Ἀθηναῖοι, ἀμυνεῖται αὐτούς, cum Athenienses in itinere esse iam antea (VI 32, 3) nuntiatum sit. Similiter Xen. Cyr. VII 1, 20 ἐπί γε τούτους ἐγὼ αὐτὸς παρέρχομαι (cf. παριών § 19) et Anab. IV 7, 3 τῇ γὰρ στρατιᾷ οὐκ ἔστι τὰ ἐπιτήδεια, εἰ μὴ ληψόμεθα τὸ χωρίον (cf. § 1 τὰ ἐπιτήδεια ἐπέλιπε). Contra Hom. Il. XI 365. 454 ἐξανύω et ἐρύουσι, cum υ brevem habeant, futura sunt pro ἐξανύσω et ἐρύσουσι. Neque huc pertinent infinitivi praesentis exempla a verbis dicendi vel putandi pendentis quae volendi sententiam assumpserunt, velut si δοκεῖν decernere, λέγειν iubere (I 78, 4. IV 2, 3) valet. Cf. VIII 93, 2, ubi λέγοντες duplicem vim habet, alteram ad infinitivos futuri qui proxime sequuntur, alteram ad infinitivos praesentis et aoristi qui deinde leguntur aptam. Eodem modo explicatur VI 88, 6 ἔστιν ὧν πόλεων ἐπαγγελλομένων καὶ αὐτῶν ξυμπολεμεῖν, i. e. cum aliquot urbes etiam sua sponte se paratos esse profiterentur ad bellum communiter gerendum. Cf. Plat. Lach. 189 b. Gorg. 458 d. Legg. 915 a. Similiter οὐ φάναι nonnunquam recusare valet, velut Xen. Anab. IV 5, 15 οὐκ ἔφασαν πορεύεσθαι, quod non significat 'se profecturos esse negabant', sed 'proficisci recusabant', et Lys. XIII 15. 47. Neque aliter distinguitur Dem. XXIII 170 ὀμόσαι . . . εἶναι μὲν τὴν ἀρχὴν κοινὴν . . ., πάντας δ' ὑμῖν ἀποδοῦναι τὴν χώραν, i. e. iuramento sancire ut imperium commune sit et omnes vobis terram reddant; quocum cf. Hom. Od. IV 254, et Xen. Hist. Gr. II 4, 30 ὀμόσαντες . . . μὴ μνησικακήσειν, i. e. iurati se malorum non memores fore (nos: schwören, dafs etwas sein soll, schwören, dafs man etwas thun wird). Verbum εὔχεσθαι autem etiam ubi spondere est propter nativam cupiendi vim et quod ipsa sponsio voluntatis declaratio est aliquotiens cum inf. praes. (Aesch. Ag. 933) aut aoristi (Hom. Il. XVIII 499. Xen. Cyneg. 6, 13) iungitur, cum plerumque infinitivus futuri sequatur. In Soph. OR. 269 sqq. ita iunctum est cum inf. praes. et fut. ut cum illo precari, cum hoc spondere significet. Verba promittendi et sperandi cum suapte natura ad futuras res spectent, cum nudo infinitivo praes. aut aor. iungi nequeunt. Cum his ἐλπίζειν putare (cf. Aesch. Sept. 76. Eur. Iph. T. 1016), ὑπισχνεῖσθαι profiteri (cf. Xen. Memor. I 2, 3. Anab. VII 6, 38. Plat. Prot. 319 a) valet. Neque aliter ἔλπομαι apud Homerum (cf. Il. XIII 309. Od. XXIII 345) Nam male Madv. in Adv. crit. I p. 179, 1 hoc verbum ad rem futuram spectare putat

Quod ut ab omni parte confirmetur, restat ut de eo participio praesentis dicatur quod pro futuri participio esse a nonnullis putatur. Eius exempla apud Thucydidem haec habes: I 116, 1 *αἱ δ' ἐπὶ Χίου καὶ Λέσβου (ἔτυχον οἰχόμεναι) περιαγγέλλουσαι βοηθεῖν*, 128, 6 *ἔπεμψε δὲ καὶ ἐπιστολὴν τὸν Γογγύλον φέροντα αὐτῷ*, III 52, 2 *προσπέμπει δὲ αὐτοῖς κήρυκα λέγοντα*, IV 85, 1 *ἡ μὲν ἔκπεμψίς μου . . . γεγένηται τὴν αἰτίαν ἐπαληθεύουσα ἣν . . . προείπομεν, Ἀθηναίοις ἐλευθεροῦντες τὴν Ἑλλάδα πολεμήσειν*, VI 88, 10 *πρέσβεις πέμπειν ἐς Συρακούσας κωλύοντας*, VII 3, 1 *κήρυκα προσπέμπει αὐτοῖς λέγοντα*, 25, 9 *ἔπεμψαν . . . πρέσβεις . . . ἀγγέλλοντας*. Cf. Herod. I 69 *ἔπεμπε ἐς Σπάρτην ἀγγέλους δῶρά τε φέροντας καὶ δεησομένους συμμαχίης*, Soph. Ai. 781 *πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολάς*, 827 *πέμψον τιν' ἡμῖν ἄγγελον κακὴν φάτιν — Τεύκρῳ φέροντα*, Eur. Suppl. 120 *τούτους θανόντας ἦλθον ἐξαιτῶν πόλιν*, El. 1024 *κεἰ μὲν πόλεως ἅλωσιν ἐξιώμενος — ἢ δῶμ' ὀνήσων τἄλλά τ' ἐκσώσων τέκνα — ἔκτεινα πολλῶν μίαν ὕπερ*, Phoen. 81 *ἐγὼ δ' ἔριν λύουσ' ὑπόσπονδον μολεῖν — ἔπεισα παιδὶ παῖδα*, Xen. Hist. Gr. VII 1, 13 *ὡς ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις ἥκοις τὴν συμμαχίαν ποιούμενος*, Plat. Prot. 322 c *Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην*, Euthyph. 8 c *πάντα ποιοῦσι καὶ λέγουσι φεύγοντες τὴν δίκην.*[1]) Praesens ipsum extra omnem dubitationem est, et temere grammaticos Batavos talibus locis ubicunque facile fieri potest futurum rescribere et poëtarum exempla docent in quibus praesens metro defenditur et formae quales sunt *φέροντα φεύγοντες*, quae ex futuro ortae esse omnino nequeunt. Accedit antiqui tituli Attici exemplum in Dittenberg. Syll. inscr. Gr. n. 13, 23 *⟨κήρυκα⟩ς δὲ ἑλομένη ἡ βουλὴ πεμψάτω ἐς τὰς πόλεις ἀ⟨γ⟩γέλλον⟨τ⟩ας ⟨τάδε τὰ⟩ ἐψηφισμένα τῷ δήμῳ*. Sed his locis omnibus participium praesentis non pro futuro, sed de conatu dictum est, quod clarissime Plat. Euthyph. 8 c ostendit, ubi vertendum est: 'omnia faciunt et dicunt poenam e f f u g e r e c o n a n t e s sive s t u d e n t e s'. De aliis participiis praesentis de conatu dictis cf. Thuc. I 35, 5. III 18, 1 ibique adn. et Plat. Prot. 317 a *ἀποδιδράσκοντα μὴ δύνασθαι ἀποδρᾶναι.*

Il. XII 407. XV 289. Od. III 319. Immo duobus posterioribus locis ad praeteritam refertur (de Od. III 319 cf. supra p. 3, 1); Il. XII 407 autem editores male *ἔελπετο* alteri scripturae *ἐέλδετο* praetulerunt. Apud Pind. Pyth. IV 243 post idem verbum iam Hermannus *πράξεσθαι* pro *πράξασθαι* restituit.

1) Etiam apud posteriores scriptores hic usus invenitur. Cf. Plut. Nic. 26. Woelfflini adn. crit. ad Polyaen. p. XXXIV. Berg — de participii temporum usu Appianeo (dissert. Bonn. a. 1884) p. 45 sqq. Et ne a latino quidem sermone alienus est. Cf. Weissenb. ad Liv. XXI 6, 2.

II.

Aliquot locis etiam infinitivus futuri in Thucydidis libros propter terminationum similitudinem pro infinitivo aoristi vel praesentis irrepsit. Tolerari non potest III 28, 1 ἀποκωλύσειν δυνατοὶ ὄντες. Quis enim ἀποκωλύσειν δύναμαι dixerit? Editores sola librorum auctoritate, non exemplis nituntur. Nam VII 11, 3 δυναίμεθ' ἂν χρήσεσθαι nihili est, cum optimus liber Vaticanus χρήσασθαι praebeat.[1]) Eodem modo se decipi passi sunt II 29, 5 cum ex plurimis codicibus πέμψειν reciperent; nam praeter hunc locum nullus exstat quo πείθειν volendi vi praeditum infinitivus futuri sequatur. Restituenda igitur est altera scriptura πέμπειν. Similiter I 27, 2 plurimi codices ἐδεήθησαν . . . ξυμπροπέμψειν habent idque servarunt editores. Sed quis dubitabit ξυμπροπέμψαι scripturam restituere, si reliquis locis omnibus δεῖσθαι aut praesentis aut aoristi infinitivum sequi reputaverit? Neque magis reliquis volendi verbis infinitivus futuri aptus est. Duobus tantum locis post ea traditus est: VI 6, 1 ἐφιέμενοι . . τῆς πάσης ἄρξειν et VI 57, 3 ἐβούλοντο . . προτιμωρήσεσθαι, utrobique vitio pervulgato scriptus. Priore enim loco ἄρξαι (verte 'totius imperio potiri'; nam aoristus incohativus est ut I 4, 1. V 91, 2. VI 85, 3), altero προτιμωρήσασθαι corrigendum est. Patet quantum editores in tradita singulorum locorum scriptura eaque satis dubia haerentes universum librorum consensum neglexerint, praesertim cum tribus etiam locis vera scriptura parte codicum memoriae prodita sit. Unus tamen locus restat VII 21, 3 ξυνανέπειθε δὲ καὶ ὁ Ἑρμοκράτης· οὐχ ἥκιστα τοῦ ταῖς ναυσὶ μὴ ἀθυμεῖν ἐπιχειρήσειν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, sed is valde suspectae fidei. Nam praeterquam quod τοῦ frustra explicare conati sunt, qua de re dixi in Symb. phil. Bonn. p. 388, ἐπιχειρεῖν cum πρός coniuncti neque apud Thucydidem neque apud alium scriptorem exemplum exstat. Et quid ἀθυμεῖν ἐπιχειρήσειν aliud est nisi 'desperare se aggressurum esse'? Ut breviter dicam quod sentio, ἐπιχειρήσειν ex ἐπιχειρῆσαι vel ἐπιχείρησιν interpretandi causa adscripto ortum et legendum esse suspicor ξυνανέπειθε δὲ καὶ ὁ Ἑρμοκράτης οὐχ ἥκιστ' αὐτοὺς ταῖς ναυσὶ μὴ ἀθυμεῖν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, i. e. 'navibus non diffidere adversus Athenienses'. Cf. II 88, 3. VII 60, 5. De his

1) Dudum in Soph. Phil 1394 pro πείσειν δυνησόμεσθα restitutum est πείθειν δυν., neque dubium quin in Plat. Phaed. 73 a οὐκ ἂν οἷοί τε ἦσαν τοῦτο ποιήσειν scribendum sit ποιῆσαι.

rebus cum rectissime iudicaret Cobetus in Mnemos. XI p. 350 sqq., in eo tamen erravit quod etiam a διανοεῖσθαι verbo infinitivum futuri alienum esse opinatus est. Nam certa eius exempla exstant a Cobeto prorsus neglecta in quibus de scribarum errore minime cogitari possit. Primum hoc est: IV 115, 2 τῇ δ' ὑστεραίᾳ μηχανῆς μελλούσης προσάξεσθαι αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἐναντίων, ἀφ' ἧς πῦρ ἐνήσειν διενοοῦντο ἐς τὰ ξύλινα παραφράγματα, . . πύργον ξύλινον . . ἀντέστησαν, quod simul ostendit qua ratione inductus scriptor hac verborum structura usus sit. Etenim μέλλειν verbi sententia διενοοῦντο praeditum esse voluit et, ne illud iteraretur, hoc posuit. Eandem rationem in loco Herodoteo valere perspicuum est. Nam VII 206. 207 ἔμελλον ὁρτάσαντες καὶ φύλακας λιπόντες ἐν τῇ Σπάρτῃ κατὰ τάχος βοηθήσειν πανδημεί· ὣς δὲ καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ξυμμάχων ἐννένωντο καὶ αὐτοὶ ἕτερα τοιαῦτα ποιήσειν . . . οὕτω διενένωντο ποιήσειν verba ἐννένωντο et διενένωντο eandem atque ἔμελλον vim habent. Alter locus Thucydideus cui fidem habere necesse sit IV 121, 1 legitur: τόν τε πόλεμον διενοοῦντο προθύμως οἴσειν. In his igitur locis cum librariorum errorem statuere non liceat, ne in reliquis quidem VII 56, 1. VIII 55, 2. 74, 3 infinitivus futuri sollicitandus est. Ceterum Cobeti erroris consors est Thomas Magister p. 67, 15. Quod autem Classenus in adn. ad VI 6, 2 ipsis his verbi διανοεῖσθαι cum futuri infinitivo coniuncti exemplis excusari putat eundem infinitivum volendi verba δεῖσθαι ἐφίεσθαι βούλεσθαι πείθειν sequentem, διανοεῖσθαι proprie verbum putandi est cogitare valens et ita ad voluntatem transfertur ut principalem ac naturalem sententiam quodammodo retineat. Atque eadem est infinitivi futuri cum μέλλειν verbo coniuncti ratio, cum hoc quoque secundum G. Curtii Etym.[4] p. 332 proprie cogitandi vim habeat, quae etiam perlucet locis qualis est VI 66, 1. Neque aliter explicandus infinitivus futuri post ἐπεῖχε Herod. I 80, ἐν νῷ ἔχειν Herod. I 10. 86. VIII 7. 8. IX 93, ὁμολογεῖν, non recusare, quod proprie verbum dicendi est, Plat. Prot. 338 e. Phaedr. 254 b, δοκεῖν, in animo habere, Arist. Ran. 188, στεῦται, animum inducit, Hom. Il. III 83. Aesch. Pers. 49, cui innatam esse opinandi vim Hom. Il. II 597. Od. XVII 525 ostendunt. His autem verbis omnibus significatur quod quis ipse facturus est, non quod alium vult facere. Itaque inde quod ea cum volendi sententia infinitivum futuri secum habent nihil efficitur ad comprobandum eundem verbi πείθειν usum aut eorum volendi verborum quibus putandi vel dicendi vis non insita est. Nam in infinitivo futuri idem valet quod in infinitivo cum ἄν iuncto: non

applicatur nisi ad verba putandi aut dicendi. Quod enim V 105, 3 *φοβεῖσθαι* cum infinitivo futuri iungitur, in timore suspicandi sententia latet (cf. Hom. Od. XXII 40. Eur. Ion. 1564). Neque alia ratione idem infinitivus III 26, 4 verbum *ἐπιμένειν* sequitur, quoniam exspectatio confidentiam habet.[1])

III.

Diu multumque a viris doctis disceptatum est num *ἄν* futuro adiungi posset. Si ea via quam supra in hoc quaestionum genere sequendam esse significavimus, ut ad veritatem perveniri possit, insistendum est, actum erit de eorum sententia qui illud a Thucydide factum esse affirmant. Neque enim inde proficiscuntur ut librorum memoriae fidem habendam esse ex universo eorum consensu ipsorumque locorum natura corruptelae minus obnoxia comprobent, sed ita causam suam defendere student ut excogitata ratione qua usus scriptor eo modo loqui aut voluerit aut debuerit, quid vere scripserit constituant. Sed in hoc genere minus rationem usus sequi videtur quam ex usu rationem cognosci consentaneum est. Cum autem veritatis quandam speciem habeat illa ratiocinatio, non mirandum est multis eam imposuisse, et me quoque speciosa Ludovici Herbstii argumentatione, quam probavi in Annal. phil. a. 1868 p. 181 sqq., deceptum esse ingenue profiteor. Hic enim de ea re fusius ea commentatione disputavit quam de *ἄν* futuro apud Thucydidem addito scripsit (Hamburgi 1867). Re autem iterum atque iterum perpensa *παλινῳδεῖν* coactus sum atque ab eo dissentire cui antehac consentiendum esse duxi. Sed *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.* In novem quae ab Herbstio defenduntur exemplis[2]) pro reliquorum numero paucissimis non

1) Licet Herod. V 49 *ἀναβάλλομαί τοι ἐς τρίτην ἡμέρην ὑποκρινέεσθαι*, VI 86, 2 *ταῦτα ὦν ὑμὶν ἀναβάλλομαι κυρώσειν ἐς τέταρτον μῆνα*, Dem. III 9 *εἴ τις ὑμῶν εἰς τοῦτ' ἀναβάλλεται ποιήσειν τὰ δέοντα* inf. futuri ita excusari queat ut in *ἀναβάλλεσθαι* vis pollicendi latere dicatur (quod enim in aliquod tempus differimus, id eodem tempore nos facturos esse pollicemur), tamen propter Herod. IX 8 *ἀνεβάλλοντο ἐς τὴν ὑστεραίην ὑποκρίνασθαι* et VI 88 *οὐκέτι ἀνεβάλλοντο μὴ οὐ τὸ πᾶν μηχανήσασθαι* dubito an *ὑποκρίνασθαι, κυρῶσαι, ποιῆσαι* rescribenda sint, praesertim cum *μέλλειν* simili cunctandi vi praeditum nusquam inf. futuri secum habeat.

2) Recte excipit II 80, 1 *ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχόντες καὶ τῆς Ζακύνθου καὶ Κεφαλληνίας κρατήσουσι*, ubi *ἄν* ad solum participium *σχόντες* (cf. V 9, 3. VI 80, 5) ita pertinet ut idem significetur ac si scriptum sit *ῥᾳδίως ἂν Α. σχοῖεν καὶ . . . κρατήσουσι.* Eodem modo in Plat. Apol. 29 c *ἤδη ἂν ὑμῶν οἱ υἱεῖς ἐπιτηδεύοντες ἃ Σωκράτης διδά-*

solum plerumque librorum fluctuat memoria, sed omnia etiam in terminationibus versantur in quibus nulla fere codicum est auctoritas, tria manifesta praeterea corruptela laborant; contra iis futuri formis quarum permutatio librariis non facilis erat nusquam ἄν additum invenitur. Quid igitur iuvat explorare quam vim ἄν futuro additum habeat, cum ne additum quidem esse satis constet? Tota profecto haec ratio solido caret fundamento. Quod ut uberius persequar, primum de iis locis dicam quos vitiosos esse facile perspicitur. Nihil certius est quam μέλλειν verbi sententiae infinitivum cum ἄν non convenire; nam quibus verbis aptus sit supra dictum est.[1]) Centum et viginti fere apud Thucydidem locis nudus infinitivus illud sequitur, unus est ubi, cum duo infinitivi sequantur, priore loco nudus infinitivus futuri, altero idem adiecto ἄν legitur. Atque una tantum dempta littera opus est, ut integer ille evadat. Sic enim legas VI 66, 1: ἐν ᾧ μάχης τε ἄρξειν ἔμελλον ὁπότε βούλοιντο καὶ οἱ ἱππῆς τῶν Συρακοσίων ἥκιστα (ἥκιστ' ἂν codd.) αὐτοὺς . . λυπήσειν. Alter locus VIII 71, 1 exstat hunc in modum adhuc editus: ὁ δὲ νομίζων τὴν πόλιν οὐχ ἡσυχάζειν οὐδὲ εὐθὺς οὕτω τὸν δῆμον τὴν παλαιὰν ἐλευθερίαν παραδώσειν, εἴ τε στρατιὰν πολλὴν ἴδοι σφῶν, οὐκ ἂν ἡσυχάσειν κ. τ. λ., ubi nimiam verborum affluentiam eo excusant quod extrema manus huic Thucydidei operis parti non imposita sit. At mihi fateor neminem ne cursim quidem ita scripturum esse videri, nisi is homo plane stolidus sit. Verum vidit Dobraeus, vir iudicii acumine in paucis insignis, cuius ingeniosa inventa plus quam par est adhuc editores

---

σκει πάντες παντάπασι διαφθαρήσονται ad solum ἐπιτηδεύοντες ἂν refertur, eademque ratione id videtur retineri posse apud Isaeum XI 47 ἐξ ὧν ἂν διαβάλλοντες πλέον ἔχειν δυνήσονται. Tribus enim his locis participio cum ἄν significatur quod eventurum esse probabile est, indicativo futuri quod, si hoc fiet vel factum erit, certo eveniet. Similiter ἄν ab indicativo futuri separandum est in Eur. Alc. 181 sq. σὲ δ' ἄλλη τις γυνὴ κεκτήσεται, — σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον (scil. οὖσα), εὐτυχὴς δ' ἴσως et in iocosa horum verborum imitatione Arist. Equ. 1251 sq. σὲ δ' ἄλλος τις λαβὼν κεκτήσεται, — κλέπτης μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον εὐτυχὴς δ' ἴσως.

1) Quanquam a cogitandi vi verbi μέλλειν significatio profecta est, tamen nusquam cogitationem sine voluntate indicat, et quanquam vim illam ita retinuit ut cum infinitivo futuri iungi posset, tamen non magis cum infinitivo et ἄν iungitur quam reliqua volendi verba quibus vis putandi vel dicendi innata est. Ubi enim haec infinitivus cum ἄν sequitur nusquam volendi sententiam assumunt. Nam ἄν particulae vis a voluntatis significatione alienissima est. Quare potest futuri quidem infinitivus post illa verba per translationem quandam propriae eorum sententiae ad voluntatem referri, sed infinitivus cum ἄν nullo modo potest.

spreverunt. Cognovit enim *τὴν πόλιν οὐχ ἡσυχάζειν* (vel potius *ἡσυχάσειν*) ex eorum quae sequuntur interpretamento huc irrepsisse eoque deleto *οὔτ'* pro *οὐδὲ* scribendum esse. Pro *οὐκ ἂν ἡσυχάσειν* autem verum praebent *οὐκ ἂν ἡσυχάζειν* M. Mosqu. Lugd. corr. Aug.[1]) Similis locus est V 82, 5 *ὁ δὲ δῆμος τῶν Ἀργείων ἐν τούτῳ φοβούμενος τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ τὴν τῶν Ἀθηναίων ξυμμαχίαν πάλιν προσαγόμενός τε καὶ νομίζων μέγιστον ἂν σφᾶς ὠφελήσειν, τειχίζει μακρὰ τείχη ἐς θάλασσαν, ὅπως, ἢν τῆς γῆς εἴργωνται, ἡ κατὰ θάλασσαν σφᾶς μετὰ τῶν Ἀθηναίων ἐπαγωγὴ τῶν ἐπιτηδείων ὠφελῇ.* Non solum male iungitur *προσαγόμενός τε καὶ νομίζων*, cum opinio ea causa socios adsciscendi sit (alibi enim talia aut *ἀσυνδέτως* aut simplici *καί* adiunguntur, qua de re cf. exempla in adn. ad I 1, 1 allata), sed etiam quam utilitatem ab Atheniensium societate Argivi exspectent accuratius postea dicitur. Cum igitur non credam ita verba *τε καὶ . . ὠφελήσειν* emendari posse ut iis vis totius sententiae augeatur, delenda potius esse existimo. Talia saepius scriptoris verbis inserta esse ex iis suspicari licet quae in optimis libris I 39, 3. 113, 1. II 78, 1. 91, 3 omittuntur. Ac profecto deleto turpi additamento nihil est quod ad sententiam plenam ac perspicuam desideres. Unum tantum optativi cum *ἄν* coniuncti exemplum est V 94: *ὥστε ἡσυχίαν ἄγοντας ἡμᾶς φίλους μὲν εἶναι ἀντὶ πολεμίων, ξυμμάχους δὲ μηδετέρων, οὐκ ἂν δέξοισθε.* Sed optimi libri *οὐκ ἂν δέξαισθε* habent, et eadem prorsus sententia legitur *οὐδεὶς ἂν δέξαιτο* I 143, 2. Quodsi optativum futuri cum *ἄν* Thucydidi displicuisse constat, mirum sit, si infinitivo et participio id addere voluerit. Infinitivi autem futuri cum *ἄν* coniuncti praeter ea quae iam memoravi duo etiam exempla restant valde similia: II 80, 8 *νομίζοντες, εἰ ταύτην πρώτην λάβοιεν, ῥᾳδίως ἂν σφίσι τἆλλα προσχωρήσειν* et VIII 25, 5 *νομίζοντες, εἰ προσαγάγοιντο Μίλητον, ῥᾳδίως ἂν σφίσι καὶ τἆλλα προσχωρήσειν.* Quid scribi potuerit ostendunt III 94, 5 *τούτων γὰρ ληφθέντων* (i. e. *εἰ ταῦτα ληφθείη*) *ῥᾳδίως καὶ τἆλλα προσχωρήσειν* et IV 69, 1 *νομίζοντες, εἰ πρὶν ἐπιβοηθῆσαί τινας ἐξέλοιεν, θᾶσσον ἂν καὶ τὰ Μέγαρα προσχωρῆσαι.* Aoristi infinitivum utrobique inferendum esse iudico, quem ipsum unus codex VIII 25, 5 servavit. Exempla participii cum *ἄν* ita tradita sunt ut uno loco VI 20, 2 *οὔτ' ἂν τὴν ἀρχὴν τὴν ἡμετέραν εἰκότως ἀντ' ἐλευθερίας προσδεξομένας* plurimi iique optimi libri, altero V 15, 2 *γνόντες νῦν μᾶλλον ἂν ἐνδεξομένους* unus codex et Thom. Mag. p. 116, 5,

1) Codices iisdem notis quibus in editione Poppon. significavi.

tertio VII 67, 4 ὡς τῶν γε παρόντων οὐκ ἂν πράξοντες χεῖρον boni libri aoristum praebeant. Herbstius his locis Thucydidem de statu quodam vel actione permanenti cogitasse voluit. Sed nihil impedit quin VII 67, 4 vertamus: 'quod maior quam in praesenti calamitas iis accidere non posset', V 15, 2: 'cognito iam magis eos propositas condiciones accepturos esse' (cf. Herod. III 128), VI 20, 2: 'eos pro libertate nostrum imperium probabiliter non subituros esse'. Et quid efficitur illa explicatione, cum ne scriptum quidem ita esse satis constet? Patet quam nullius momenti sit anceps plerumque librorum scriptura et propter paucitatem locorum errorumque facilitatem prorsus dubia. Numerus enim maxime exiguus est pro multitudine eorum locorum qui apud futurum ἄν non habent, neque invenitur ubi ἄν additum sit nisi formis ad mutandum facillimis, quanquam alius quoque generis satis multae leguntur (I 33, 3. 39, 2. 44, 2. 70, 3. II 13, 1. 20, 4. 40, 4. III 13, 5. 39, 3. 46, 2. 67, 1. 115, 4. IV 55, 4. 63, 2. 67, 3. 114, 3. V 50, 4. 105, 1. VI 92, 1. 102, 2. VII 77, 7. VIII 54, 2). Non magis autem quam apud Thucydidem apud reliquos Atticos scriptores ἄν apud futurum tolerandum est, cum consentiente librorum memoria paucissimis pro reliquorum numero locis traditum sit et qui facili mutatione corrigi queant.[1]) Itaque ad Atticorum

---

1) Quae consentiente librorum auctoritate apud reliquos Atticos scriptores tradita sunt futuri cum ἄν exempla haec sunt: Indicativi Eur. Iph. T. 895 τίς ἂν οὖν τάδ' ἂν . . . φανεῖ (corrupta sunt prima verba; τίς ἄρ' οὖν, τάλαν Nauck.), El. 484 πέμψουσιν θανάτοισι κἂν . . . ὄψομαι (θανάτοις· ἦ μὰν Nauck.), Plat. de Rep. 615 d οὐχ ἥκει, φάναι, οὐδ' ἂν ἥξει (οὐδ' αὖ ἥξει Madv. Adv. crit. I p. 435), Euthyd. 274 e κάλλιστ' ἂν προτρέψετε (προτρέψαιτε Aldina), Symp. 222 a διοιγομένους δὲ ἰδὼν ἄν τις . . . εὑρήσει (αὖ τις . . . εὑρήσει Bekk.), Isocr. XVII 58 ὥστ' οὐκ ἂν εἰκότως περὶ ὀλίγου ποιήσεσθε (ποιήσαισθε H. Wolf.), Dinarch. I 68 τί δὲ ἄν (δαὶ ἄν Oxon.) — τιθῶμεν γὰρ ταῦτα — ἐὰν . . . ἀπαιτῇ . . . Ἀλέξανδρος τὸ χρυσίον . . ., τί ἐροῦμεν (τί δ' ἐάν Funkhaenel.), I 109 πολὺ γὰρ ἂν δικαιότερον ἐλεήσετε (ἐλεήσαιτε Dobr.). De quinque optativi fut. cum ἄν coniuncti exemplis (Arist. Vesp. 1097. Plat. Legg. 719 e. Lys. I 22. Lyc. 14. 15) ita dixit Fassbaender l. l. p. 55 sqq. ut nihil addendum sit. Infinitivi haec habentur: Soph. OC. 1077 ὡς προμνᾶταί τι μοι γνώμα τάχ' ἂν δώσειν (τάχ' ἐνδώσειν schol.), Eur. Hel. 448 πικροὺς ἂν (ἄρ' Herm.) οἶμαί γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους, Antiph. VI 4 ἐλπίζων οὕτως ἂν ἄριστα πράξειν (πρᾶξαι Dobr.), Xen. Hist. Gr. III 2, 12 οὕτως ἂν ἔφασαν τάχιστα νομίζειν αὐτὸν συγχωρήσειν (συγχωρῆσαι Dobr.), Ag. 7, 7 ἐξ ἧς ἂν ἡγῆται μάλιστ' ἂν (μάλιστα Dind.) ἡμᾶς ἀλλήλοις πολεμήσειν, Isae. V 23 ἡγούμενοι γὰρ οὐκ ἂν αὐτὸν βεβαιώσειν (βεβαιῶσαι Naber), Demosth. XXIV 115 πολλοὶ γὰρ ἂν αὐτῷ ἐδόκουν οὕτω γ' οἱ κλέπται ἔσεσθαι (delendum est ἄν ex insequenti αὐτῷ repetitum).

potissimum usum spectasse videntur veteres grammatici qui ab exculto sermone ἄν cum futuro alienum esse dixerunt.[1]) Cf. Bekk. Anecd. p. 127 *μέλλοντι ὁ μὲν γραμματικῶν κανὼν οὐκ ἐπιτρέπει* (scil. ἄν particulam), *παρὰ τοῖς ἀρχαίοις δὲ οὐκ ὀλίγα εὑρίσκεται.*

IV.

In titulis Atticis Euclide archonte antiquioribus ubique ὅπως cum coniunctivo ἄν secum habet; primum ὅπως cum nudo coniunctivo iuncti exemplum est in Corp. inscr. Att. II 115 extr. *ἐπιμελεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς στρατηγοὺς . . . ὅπως Ἀρύββας καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ* <*κομί*>*σωνται τὴν ἀρχήν* idque unum quarti saeculi (a. 343/2 a. Ch.), cum tertio demum hic usus increbrescat. Cf. Herwerd. Lapid. de dial. Att. testim. p. 73 sqq. Ὡς finale a titulis Atticis ante aetatem imperatoriam factis omnino abest. Cum sermone epigraphico comicus, praeterquam quod ὡς finale pariter atque ὅπως admittit, ita consentit ut in partibus dialogicis ubique ad ὡς et ὅπως cum coniunctivo ἄν additum sit. Nam si mittimus Arist. Lys. 1265. 1305, ubi ὡς cum nudo coniunctivo in canticis Doricis est, cum nudo coniunctivo ὅπως Vesp. 1526 in cantico est et ὡς Eccl. 286 in tetrametris iambicis cantico praemissis cum eoque conexis, in Eccl. autem v. 117 *ξυνελέγημεν ἐνθάδε — ὅπως προμελετήσωμεν ἀκεῖ δεῖ λέγειν* recte Velsenius *προμελετήσαιμεν* secundum reliquum Aristophanis usum, qui in enuntiationibus finalibus verbum praeteriti temporis subsequentibus post ὡς aut ὅπως

Participii haec sunt: Xen. Mem. II 2, 3 *ὡς οὐκ ἂν μείζονος κακοῦ φόβῳ τὴν ἀδικίαν παύσοντες* (*παύσαντες* Coraës), Lys. XXXI 21 *εὖ ᾔδει αὐτὸν . . . τὰ δέοντα ἂν ποιήσοντα* (*ἂν* ex *δέοντα* repetitum del. Dobr.), Plat. Apol. 30 b *ὡς ἐμοῦ οὐκ ἂν ποιήσοντος* (*ποιήσαντος* Cob.), Isocr. VI 62. 63 *ἐπίσταμαι . . . ὁτιοῦν ἂν ποιήσοντας . . . ὁμοίως ἂν βουλευσομένας . . . προθύμως ἂν ἡμῖν ἐπικουρήσοντας* (*ποιήσαντας . . . βουλευσαμένας . . . ἐπικουρήσαντας* Cob.), VIII 81 *τὰ μὲν πικρότατα καὶ μάλιστ' ἂν ὑμᾶς λυπήσοντα* (*λυπήσαντα* Cob.), Philem. comici fragm. 91 (ed. Kock.) *ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν οὐδὲ ἓν ποιῶν — οὐδ' ἂν ποιήσων* (*οὐδ' αὖ* Wakefield.); unus restat locus cuius emendatio aliquam difficultatem habere videatur, sed non habet cognita corruptelae origine, Demosth. IX 70 *πάλαι τις ἡδέως ἂν ἴσως ἐρωτήσων κάθηται*; cum enim *ἴσως* in compluribus libris omittatur, genuinae scripturae *ἡδέως ἂν ἐρωτῶν* interpretandi causa videtur *ἴσως ἐρωτήσων* superscriptum fuisse hunc in modum:

ἴσως ἐρωτήσων
ἡδέως ἂν ἐρωτῶν.

1) Non laudo Herwerdenum quod etiam ab Homero ἄν (*κέν*) cum futuro abiudicavit (Revue de phil. VI p. 22 sqq.).

nusquam coniunctivum habet, restituit. Quod denique in Pherecratis fragm. 143, 7 (ed. Kock.) ὅπως ἀνεκλογίστως πλεῖστος οἶνος ἐκποθῇ exstat, trochaici tetrametri in quibus haec verba leguntur non diverbii, sed ἐπιρρήματος videntur particula esse. A comicis tragicorum sermo ita discrepat ut multo frequentius ὅπως et ὡς cum nudo coniunctivo iungant quam ἄν addant et ubi ἄν addatur multo saepius ὡς ἄν quam ὅπως ἄν habeant.[1]) Hinc cognoscitur sublimioris dicendi generis fuisse ὅπως et ὡς cum nudo coniunctivo, in sermone communi ἄν additum esse, nisi quod ab usu epigraphico ὡς finale omnino alienum fuit. Ad Thucydideae autem historiae austeritatem maxime conveniebat sublimitas elocutionis, et quam consulto eam secutus sit praeter alia, velut σσ et ρσ antiquiore more pro ττ et ρρ posita, maxime enuntiatorum finalium ab ὅπως et ὡς ordientium structura ostendit. Nam additi ad coniunctivum ἄν unum apud eum exemplum invenitur idemque unum ὡς finalis: VI 91, 4 εἰ μὴ . . . πέμψετε ἄνδρα Σπαρτιάτην ἄρχοντα, ὡς ἂν τούς τε παρόντας ξυντάξῃ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας προσαναγκάσῃ non magis in suspicionem vocandum quam semel scriptum VII 65, 2 ὅπως ἄν finale cum optativo aut quod uno loco ad timidam exspectationem significandam legitur μή cum optativo et ἄν II 93, 3. Cum igitur Thucydides ὅπως ἄν cum coniunctivo, quod rarius tragici habent, omnino non admiserit, semel sibi concesserit ὡς ἄν, quo saepius illi utuntur, in eo genere etiam magis vulgarem dicendi consuetudinem aspernatus est quam ipsi tragici, in eo autem quod ὡς finale nusquam usurpavit nisi uno loco cum ἄν coniunctum proxime accedit ad sui et omnis antiquioris temporis usum epigraphicum, a quo illud omnino alienum est. Ut tragici sic Thucydides quoque non solum cum praesentis (I 37, 4. 62, 4. 87, 4. III 46, 6. 51, 2. 74, 2. 105, 3. 107, 3 etc.), sed etiam cum aoristi coniunctivo ὅπως iunxit. Nam certa huius usus exempla inveniuntur ubi aoristus ex futuro depravatus esse nequeat, velut III 49, 2 ὅπως μὴ . . . εὕρωσι, III 81, 1 ὅπως μὴ . . . ὀφθῶσι, V 85 ὅπως δὴ μὴ . . . ἀπατηθῶσι. Quorum Cobetus nullam rationem habuit, cum VIII 109, 1 ὅπως μέμψηταί τε . . . καὶ . . . ἀπολογήσηται et alibi ubi facili negotio fieri posset aoristos in futura mutandos esse censeret. Praeterea etiam aoristi coniunctivos in σω et σωμαι futuris simillimos sententiis finalibus ab ὅπως ordientibus adhibitos esse documento est exemplum epi-

1) De omni enuntiatorum finalium apud tragicos usu cf. Weber — Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze I p. 79 sqq.

graphicum supra allatum. Thucydides autem adeo non vitavit coniunctivum post ὅπως in enuntiatis proprie finalibus, i. e. iis quae non a verbo curandi vel providendi pendent, ut futuri in talibus nullum apud eum exstet exemplum quod quidem libris consentientibus traditum sit. Nam VII 32, 1 *Νικίας προπυθόμενος πέμπει ἐς τῶν Σικελῶν τοὺς τὴν δίοδον ἔχοντας . . ., ὅπως μὴ διαφρήσωσι τοὺς πολεμίους, ἀλλὰ ξυστραφέντες κωλύσωσι διελθεῖν* M., qui solus veram scripturam servavit, coniunctivum *διαφρήσωσι* habet (reliqui *διαφήσουσι* praeter *ἀφήσουσι* Ar. Chr. K.), quem verum esse eo confirmatur quod in altero enuntiati finalis membro *κωλύσωσι* optimi libri It. Vat. Laur. Aug. M. m. tuentur. Pariter VII 39, 2 *κελεύειν ὅτι τάχιστα τὴν ἀγορὰν μεταστήσαντας ἐπὶ τὴν θάλασσαν κομίσαι . . ., ὅπως . . . ἀριστοποιήσωνται καὶ δι' ὀλίγου . . . ἐπιχειρῶσι* coniunctivum *ἀριστοποιήσωνται* Vat. Pal. Laur. m. praebent ad *ἐπιχειρῶσι* convenientiorem. In his igitur enuntiatis finalibus cum coniunctivus ubique rescribendus sit, in reliquis optimorum sequenda est librorum auctoritas. Ut autem ὅπως cum nudo coniunctivo iungens sic in sententiis proprie finalibus futurum, quod in iisdem apud tragicos rarissimum est, excludens Thucydides maxime ad tragicorum usum se applicavit, sed ita ut in utroque genere etiam severiorem se praestiterit.

Cum igitur in coniunctivi finalis usu magnam Thucydidei et tragici sermonis affinitatem invenerimus, etiam reliquis locis ubi contra communem Atticorum dicendi consuetudinem *ἄν* a coniunctivo abest ex tragicorum dictione videtur decernendum esse num librorum memoria servanda sit. Iam vero cum identidem apud Thucydidem *μέχρι οὗ* cum nudo coniunctivo legatur (III 28, 2. IV 16, 2. 41, 1. 46, 3) et eodem modo *μέχρι* I 137, 2 *μέχρι πλοῦς γένηται*, non dubito quin hoc ab ipso scriptore profectum sit, cum Soph. Phil. 764. Trach. 148. Ai. 555 item ἕως nudum coniunctivum secum habeat, neque assentior L. Dindorfio, qui in praef. ad Diod. I p. XXVII auctore Schneidero ad Aristot. Hist. an. vol. IV p. 169 *μέχρι ἄν* I 137, 2 restituendum esse dixit. Eodem modo *πρίν* cum nudo coniunctivo, quod VI 10, 5. 29, 2. 38, 2. VIII 9, 1. 3 legitur, tuentur Soph. Phil. 917. Ant. 619. Trach. 608. Ai. 742. 965. Eur. Or. 1218. Neque magis suspectus videri debet idem modus post pronomen relativum IV 17, 2. 18, 4, quem eundem habes in Aesch. Eum. 211. fragm. 238 (Dind.) Soph. OR. 1231. Trach. 251. fragm. 721; et quod uno loco, qui est VI 21, 1 *εἰ ξυστῶσιν*, consentiente librorum praeter paucos deterrimos memoria *εἰ* cum nudo coniunctivo legitur, quod

idem exstat in Aesch. Pers. 791. Suppl. 91. Eum. 234. Soph. OR. 198. 874. OC. 1443. Ant. 710, non minus hoc tolerandum esse puto quam pariter singularia *ὡς ἄν* cum coniunctivo et *ὅπως ἄν* cum optativo et cum eodem *μή ἄν*, quae supra memorata sunt. Num tamen idem ferri possit apud Aristophanem in Equ. 698. 700. 805. Pac. 450, qui ne alibi quidem apud coniunctivum *ἄν* omittere soleat (nam in censum non venit quod Av. 929 in ludibunda Dorici carminis imitatione legitur *ὅ τι περ . . . θέλῃς* et Eccl. 688 in promptu est pro *ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα — μὴ 'ξελκυσθῇ* rescribere *ὅτῳ δὲ τὸ γράμμ' ἂν — μὴ 'ξελκυσθῇ*), valde dubito, praesertim cum in Equ. 698 *μὰ τὴν Δήμητρ', ἐὰν μή σ' ἐκφάγω* pro *μὰ τὴν Δήμητρά γ' εἰ μή σ' ἐκφάγω* itemque 700 *ἢν μὴ 'κφάγῃς* pro *εἰ μὴ 'κφάγῃς* plurimi libri praeter Rav. habeant et ibidem 805 Velsenius recte scripturam *εἰ . . . διατρίψει* alteri *εἰ . . . διατρίψῃ* praetulisse videatur et in Pac. 450 lenissima sit mutatio *κεἴ τις . . . μὴ ξυλλάβοι* pro *κεἴ τις . . . μὴ ξυλλάβῃ* a Meinekio proposita, ad quem optativum cf. Equ. 694 ibique Kockii adn. Lys. 235. Plut. 1072. His igitur locis si nudus coniunctivus exemptus est, etiam praeter sententiarum finalium consensum supra memoratum Aristophanis sermo cum titulis Atticis plane convenit, in quorum enuntiatis condicionalibus relativis temporalibus coniunctivus nusquam *ἄν* particula caret.

V.

Confusionis duarum structurarum Poppo olim in Prolegg. p. 150 sqq. haec exempla attulit: V 7, 2 *αἰσθόμενος τὸν θροῦν καὶ οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι ἀναλαβὼν ἦγεν*, IV 63, 1 *καὶ νῦν τοῦ ἀφανοῦς τε τούτου διὰ τὸ ἀτέκμαρτον δέος καὶ διὰ τὸ ἤδη φοβεροὺς παρόντας 'Αθηναίους, κατ' ἀμφότερα ἐκπλαγέντες . . . τοὺς ἐφεστῶτας πολεμίους ἐκ τῆς χώρας ἀποπέμπωμεν*, I 2, 5 *τὴν γοῦν 'Αττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοί αἰεί*, VIII 105, 2 *οἱ Πελοποννήσιοι διὰ το κρατήσαντες ἀδεῶς ἄλλοι ἄλλην ναῦν διώκοντες ἤρξαντο μέρει τινὶ σφῶν ἀτακτότεροι γενέσθαι*, VI 1, 2 *ἐν εἴκοσι σταδίων μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάσσης διείργεται τὸ μὴ ἤπειρος οὖσα*; confudisse enim scriptorem primo loco *ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους* et *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθῆσθαι* similiterque in ceteris. Quam interpretationem a M. Hauptio tanquam novam ac propriam in Herm. III p. 150 denuo prolatam cum me auctore (cf. Annal. phil. a. 1870 p. 333 sq.) improbasset Reifferscheidius in Coniectan.

in Thuc. (ind. lect. Vratisl. a. 1876/77) p. 3, postea in Anal. crit. et gram. (ind. lect. Vratisl. a. 1877/78) p. 11 sqq., maxime commotus, ut videtur, simili quod ei innotuit exemplo Platonico Phil. 58 b *οὐ . . . τοῦτο ἔγωγε ἐζήτουν πω, τίς τέχνη ἢ τίς ἐπιστήμη πασῶν διαφέρει τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη καὶ πλεῖστα ὠφελοῦσα ἡμᾶς*, sententiam aliquantum mutavit, Thucydidem tribus locis IV 63, 1. VI 1, 2. VIII 105, 2 a legitima dicendi consuetudine descivisse sibi persuadens; sed id missis interpretandi artificiis ita sibi explicare visus est ut, quoniam participia cum articulo *τό* coniuncta pro substantivis verbalibus Graecis fuissent, velut *τὸ μὲν δεδιὸς . . . τὸ δὲ θαρσοῦν* I 36, 1, *τὸ μέλλον* I 84, 1, *τὸ βουλόμενον* I 90, 2, *τῷ τιμωμένῳ* II 63, 1, *το μὴ κατὰ κράτος νικηθέν* II 87, 3 quaeque sunt similia, ab his exemplis illa non differre diceret nisi quod participia neutrali forma exuta attractionis quodam genere substantivorum suorum genus numerum casum sequerentur. Similia ad hanc structuram IV 63, 1. V 7, 2. VIII 105, 2 defendendam comminiscitur Classenus in l. IV ed. II p. 228 sqq. Sed alibi ubi talia participia cum substantivis iuncta Thucydides habet grammaticam rationem servans aut non ponit articulum aut pariter atque participium ad substantivum accommodat. Cf. enim praeter II 49, 4 *μετὰ ταῦτα λωφήσαντα* et VI 3, 3 *μετὰ Συρακούσας οἰκισθείσας* I 23, 6 *τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀναγκάσαι ἐς τὸ πολεμεῖν*, III 36, 2 *προσξυνεβάλετο οὐκ ἐλάχιστον τῆς ὁρμῆς αἱ Πελοποννησίων νῆες ἐς Ἰωνίαν ἐκείνοις βοηθοὶ τολμήσασαι παρακινδυνεῦσαι*, 53, 3 *ὁ μὴ ῥηθεὶς λόγος τοῖς ὧδ' ἔχουσιν αἰτίαν ἂν παράσχοι*, IV 26, 5 *αἴτιον δὲ ἦν οἱ Λακεδαιμόνιοι προειπόντες*, 29, 3 *ῥώμην καὶ ἡ νῆσος ἐμπρησθεῖσα παρέσχε*, 47, 2 *τοὺς ἄνδρας . . . ὑπ' ἄλλων κομισθέντας . . . τὴν τιμὴν τοῖς ἄγουσι προσποιῆσαι*, VI 80, 2 *εἰ γὰρ δι' ὑμᾶς μὴ ξυμμαχήσαντας ὅ τε παθὼν σφαλήσεται καὶ ὁ κρατῶν περιέσται*, VIII 9, 3 *αἴτιον δ' ἐγένετο . . . οἱ μὲν πολλοὶ τῶν Χίων οὐκ εἰδότες τὰ πρασσόμενα*, secundum quorum exemplorum similitudinem IV 63, 1 *διὰ τὸ ἀτέκμαρτον δέος καὶ διὰ τοὺς Ἀθηναίους ἤδη φοβεροὺς παρόντας* scribere licebat, cum V 7, 2. VIII 105, 2 *διὰ τό* ad participium causale additum prorsus supervacaneum esset et contra reliquum eius participii usum. Sed licet a consueta dicendi norma ita deficere ipsum non alienum fuerit a Graeci sermonis indole, ut via ac ratione procedatur, priusquam alicuius enormitatis rationem indagemus, antea videndum est utrum haec revera exstiterit an quae eius exempla esse videntur ad communem dicendi consuetu-

dinem revocari queant. Atque in Platonis quidem loco fatendum est hoc fieri non posse. Sed sive Thucydidem secutus esse putatur, cum eam sibi concederet licentiam, sive ipse sua sponte ad eandem dictionem devenisse, permirum esset, si in tot scriptorum voluminibus uno loco eam sibi permisisset. Cum igitur vel ea de causa suspectus sit locus Platonicus, ex Thucydideis unum corruptum esse facile apparet. Nam VI 1, 2, etiamsi mittamus inconvenientem articulum, ipsum participium nullo modo locum habet. Active enim hic non magis dici potest *αὐτὴν διεῖργε μὴ ἤπειρον οὖσαν* pro *μὴ ἤπειρον εἶναι* quam III 1, 1 *εἶργον τὸ μὴ . . . κακουργοῦν* pro *τὸ μὴ . . . κακουργεῖν* aut Soph. Ai. 70 *ὀμμάτων ἀποστρόφους — αὐγὰς ἀπείρξω σὴν πρόσοψιν εἰσιδούσας* pro *εἰσιδεῖν*. Nam his locis omnibus participium in re quae non fit aut facta est sed ne fiat prohibetur prorsus contra sententiam est. Idem sensisse videtur Classenus, qui genuinum *εἶναι* praegresso *οὖσα* sibi videri permutatum esse recte dixit. Atque ipsum *εἶναι* praebet H., quae licet correctura sit (hic enim liber descriptus videtur esse ex Vat., qui cum reliquis *οὖσα* habet), vera tamen est correctura confirmata non solum a Demetrio de Elocut. § 72 *ὡσαύτως καὶ τὸ μὴ ἤπειρος εἶναι τὸ Θουκυδίδειον* ipsa verba afferente, sed etiam Polyaeni et Procopii ea imitantium consensu. Cf. enim Polyae. II 2, 4 *ἐλαχίστῳ διειργομένην ἰσθμῷ μὴ νῆσον εἶναι* et Procop. de bell. Pers. I 19 *τοσούτῳ γὰρ διείργεται τὸ μὴ ἐπιθαλάσσιος εἶναι*, de bell. Goth. I 1 *δυοῖν σταδίοιν διειργομένη μέτρῳ τὸ μὴ ἐπιθαλάσσιος εἶναι*, I 26 *μέτρῳ γὰρ τοσούτῳ τὸ μὴ ἐπιθαλασσία εἶναι διείργεται Ῥώμη*, de Aedif. IV 10 *ἰσθμῷ διειργομένη βραχεῖ μὴ νῆσος παντάπασιν εἶναι*. Hoc igitur loco cum participium corruptela ortum sit, VIII 105, 2 librorum memoria discrepat. Nam multi libri, inter quos Laur. et Pal., *διώκειν* pro *διώκοντες* habent, et vituperandus est Classenus quod Vaticani auctoritate nimium confisus, si quicquam mutandum sit, *διὰ τὸ κρατῆσαι* scribere mavult quam alteram codicum scripturam recipere, quae plane eandem sententiam praebet. Nam *διώκοντες* patet ex praegresso *κρατήσαντες* ortum esse similiter atque VI 1, 2 *οὖσα* ex superiore *οὖσα*, et pari vitio in Vat. IV 35, 1 *ἀναστρέφοντες* pro *ἀναστρέφεσθαι* et I 141, 4 in omnibus libris *πληροῦντες* pro *πληροῦν* scriptum est, quod certissima emendatione restituit Herwerdenus. Utique hic locus ad tuendam abnormem illam structuram afferri nequit. Quod ad reliquos locos attinet, de I 2, 5 Classenus et Reifferscheidius mecum consentiunt *ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον* iungendum esse, et V 7, 2 Reifferscheidius comprobavit quod

καὶ οὐ βουλόμενος 'quanquam invitus' valere docui, ut καὶ οὐκ ἐθέλων Hom. Il. IV 300. Od. II 110 et in sententia condicionali μὴ βουλόμενος Plat. Legg. 862 a dixit, cum Classenus nulla necessitate coactus eum locum contra quam secundum legitimum sermonis usum interpretari malit. Uterque a me dissentit de IV 63, 1, ubi interpunctione post ἤδη posita φοβεροὺς παρόντας Ἀθηναίους (= τὴν φοβερὰν Ἀθηναίων παρουσίαν) eodem modo dictum atque τοὺς Ἀθηναίους μεγάλους γιγνομένους I 23, 6 (cf. reliqua exempla supra allata) pro appositione accepi, sed neuter causam affert cur ratio a me inita, quae et sententiae satisfacit et grammaticae, reicienda sit, nisi quod illegitimam illam licentiam hic admitti posse opinantur. Maioris autem momenti quam hic locus ad confirmandam hanc opinionem esset VII 66, 3 ἄνδρες γὰρ ἐπειδὰν ᾧ ἀξιοῦσι προύχειν κολουθῶσι, τό γ' ὑπόλοιπον αὐτῶν τῆς δόξης ἀσθενέστερον αὐτὸ ἑαυτοῦ ἐστιν ἢ εἰ μηδ' ᾠήθησαν τὸ πρῶτον, καὶ τῷ παρ' ἐλπίδα τοῦ αὐχήματος σφαλλόμενοι καὶ παρὰ ἰσχὺν τῆς δυνάμεως ἐνδιδόασιν, si verum esset quod Classenus contendit, concinnitatis causa non licere τῷ παρ' ἐλπίδα eodem modo accipere quo IV 62, 3 dictum est, sed παρ' ἐλπίδα τοῦ αὐχήματος pariter iungendum esse atque παρὰ ἰσχὺν τῆς δυνάμεως (cf. V 14, 1), et mirum est quod hoc loco illius licentiae immemor de delendo τῷ ille cogitat, cum, si eadem ratione qua IV 63, 1. V 7, 2. VIII 105, 2 usus est τῷ cum σφαλλόμενοι iungatur, nulla mutatione opus sit. Sed concinnitatis ratio hoc loco non tantum valet quantum Classenus putat. Nam alibi quoque apud Thucydidem similem verborum aequabilium inaequabilem structuram deprehendimus, velut III 82, 8 εὐσεβείᾳ μὲν . . . εὐπρεπείᾳ δέ et VI 17, 3 ἐκ τοῦ λέγων πείθειν ἢ στασιάζων, et Thucydides verbis τοῦ αὐχήματος σφαλλόμενοι superiorum ἐπειδὰν ᾧ ἀξιοῦσι προύχειν κολουθῶσι sententiam accurate reddere maluit quam vocabulorum iuncturam sequentibus congruentem comparare, eaque ne in simili verborum forma sua sponte exsisteret, addito τῷ effecit ut παρ' ἐλπίδα ab insequenti τοῦ αὐχήματος disiungeretur. Cum igitur ex locis Thucydideis qui quidem consentiente librorum et testimoniorum memoria traditi sunt nullus steterit quin secundum legitimam dicendi consuetudinem explicari possit, plane iam actum est de uno et suspecto illo Platonis exemplo idque emendatione egere apparet. Itaque ibi aut εἶναι post ἀρίστη addendum est, quae proba est recentioris manus in cod. Ven. Σ correctura optime conveniens ad Theaet. 170 b οὐκ ἄλλῳ τῳ διαφέροντας ἢ τῷ εἰδέναι et de Rep. 501 a τούτῳ ἂν εὐθὺς τῶν ἄλλων διενέγκοιεν, τῷ μήτε ἰδιώτου μήτε πόλεως

ἐθελῆσαι ἂν ἅψασθαι, aut rescribendum τίς ἐπιστήμη πασῶν διαφερόντως μεγίστη (scil. ἐστί) κ. τ. λ., quocum cf. Thuc. VIII 68, 3 παρέσχε . . . ἑαυτὸν πάντων διαφερόντως προθυμότατον et Plat. Prot. 349 d ἀνδρειοτάτους δὲ διαφερόντως.

VI.

Omnium frequentissimum vitiorum genus id est quod in vocabulorum formis versatur. Imprimis autem in Atticorum libris accidit ut posteriorum temporum loquendi usu contaminarentur. In locum enim formarum vere Atticarum librariis etiam invitis interdum eae quibus ipsi uterentur subibant. Quod adeo non mirum est ut, si non factum esset, mirari oporteret. Tantum igitur abest ut temeritatis accusandi sint qui in hoc genere a librorum auctoritate recedendum esse putant, ut eorum vituperatores levitatis crimine merito afficiantur. Thucydides autem cum ab ipso Phrynicho inter gravissimos puri atque incorrupti Attici sermonis auctores nominatus sit (Phot. bibl. p. 101 b, 4. Cf. Dionys. Hal. p. 454), dignissimus est cui genuinus eius nitor ubique restituatur. Qua de re cum Herwerdenus in Studiis Thuc. p. 111—134 ita dixerit ut, quamvis de nonnullis recte iudicaverit, non ubique tamen satis accurate et caute munere suscepto functus esse videatur, in eadem inquirendo non acta me acturum esse confido. Multa quidem proferam quae ab illo aliisque recte observata sunt, aliquotiens tamen meum interponere iudicium licebit. Complura huius generis quanquam iam recte docuerunt veteres grammatici, non tamen ubique eorum iudicio confidendum est, quippe qui non omnia satis diligenter observaverint et saepius inter se pugnent. Sed ad eorum doctrinam alia cognitionis subsidia accedunt, analogia sive ipsius linguae ratio atque norma, inscriptiones scriptoris aetati suppares, poëtarum scaenicorum usus, apud quos metrum veris formis praesidio erat, denique universus optimorum librorum consensus ubi iusta ratione, non falsis librariorum opinionibus nititur. Certissimum autem subsidium ad cognoscendum sermonem Atticum et veras vocabulorum formas indagandas inscriptiones praebent, etsi scriptorum dicendi usus non omnino cum earum sermone congruit. Itaque maximum fructum haec quaestio percipit ex illarum collectionibus nostra aetate factis[1]) et quae hinc profecta

1) CI = Corpus inscr. ed. Boeckh, CIA = Corpus inscr. Attic., IA = Inscr. Graecae antiquissimae praeter Atticas in Attica repertas ed. Roehl, DS = Sylloge inscr. Graecarum ed. Dittenberger, CD = Delectus

sunt virorum doctorum studiis in dialecto Attica collocatis, ex quibus praeter ceteros nominandi sunt Cauer Herwerdenus Riemannus Meisterhans.[1]) Maxime tamen cavendum est ne ad unam omnia normam revocanda esse opinemur, cum inveniantur in quibus ipsi scriptores sibi constare noluerint.

Ac primum quidem de pronuntiationis signis disputabimus. Secundum grammaticorum igitur praecepta ἁθρόος ἁθροίζω ἅθροισις cum spiritu aspero scribenda sunt. Cf. Herod. (ed. Lentz) I 538, 2 τὸ ἀθρόος ὅτε ἐπιτατικὸν ἔχει τὸ α (nam ἄθροος = ἄφωνος α στερητικόν habet) δασύνεται παρ' Ἀττικοῖς, II 716, 5 τὸ α τὸ ἀθροιστικὸν δασύνεσθαι θέλει οἷον ἅμαξα, ἁθρόον ἀντὶ τοῦ ὁμοῦ, ἅπας, ἅμα, Eustath. p. 251, 39. 966, 10. Suid. s. v. ἁθρόοι καταρρέοντες. Item confirmat veriloquium, de quo cf. Curt. Etym.[4] p. 394. Veram scripturam duobus locis (I 122, 3. II 31, 3) m. servavit. Pariter ἁνύτω. Cf. Eustath. p. 1216, 65 Ὅμηρος μὲν ἀνύω φησίν, οἱ δὲ ὕστερον Ἀττικοὶ ἁνύτειν φασίν. Αἴλιος δὲ Διονύσιός φησι ὅτι δασεῖα ἡ πρώτη, Bekk. Anecd. p. 14 ἁνύειν δασύνουσιν οἱ Ἀττικοί. καὶ δῆλον ἐκ τῆς συναλοιφῆς· καθήνυσαν γάρ, p. 411 ἁνύτειν οἱ Ἀττικοὶ ὅπερ ἡμεῖς ἀνύειν, Schanzii Proll. ad Plat. V 1 p. V. Th. εἵργειν dixisse, non εἴργειν (libri dissentiunt) composita ostendunt. Nam quod IV 47, 3 codd. καθεῖρξαν habent, hoc ad reliquorum locorum (I 76, 2. IV 98, 6. VI 6, 2. 91, 2. VII 57, 7. II 39, 1. 53, 4. III 45, 3. IV 37, 1) consensum corrigendum est. Etiam in antiquo titulo EA a. 1884 p. 162 sq. ter εἶρξαι et bis εἶρξις sine *H* scriptum est. Quare etiam I 131, 2 εἱρκτὴν scribendum est, quanquam aliud docet Herod. I 538, 6. Ἄληκι, pro quo in parte codd. Ἀλῆκι, III 91, 1 scribendum videtur, ut apud Strab. p. 260 et Antig. Caryst. 1 (cf. Kelleri notam) nunc legitur.

Proximum est ut de vocabulorum accentibus dicamus, qua in re Herodianum grammaticum potissimum auctorem sequimur.[2]) Qui a veteribus Atticis ἕτοιμος (II 938, 24), ὅμοιος (I 137, 13), ἔρημος

inscr. Gr. propter dialectum memorabilium comp. Cauer. Ed. II., CS = Sammlung der griechischen Dialekt-Inschriften herausgegeben von Collitz, EA = Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική.

1) De Dialecto Attica vetustiore scr. P. Cauer (Curt. Stud. VIII). Lapidum de dialecto Attica testimonia collegit atque disposuit H. van Herwerden. Riemann — Notes sur l'orthographie Attique (Bull. de corresp. Hellén. III. IV.). Le dialecte Attique d'après les inscriptions (Revue de phil. V. IX). Grammatik der attischen Inschriften von K. Meisterhans. Cf. Riemanni censura (Revue de phil. IX.)

2) Licet non omnia ipsius Herodiani sint quae inter eius reliquias recepit Lentzius, tamen ab eius doctrina videntur profecta esse.

(II 938, 20, quo de loco cf. Eustath. p. 531, 32 et Dind. lex. Soph. s. v.) pronuntiatum esse docet (quare etiam *παρομοῖος* scribendum), et *τροπαῖον ἀσυνήθως* apud Th. *περισπωμένως* legi affirmat Eustath. p. 531, 38 idque omnino apud veteres Atticos fieri docet Etym. magn. p. 769, 15 accuratius definiens quod Herod. I 369, 9 dicit *τρόπαιον καὶ τροπαῖον Ἀττικῶς*. Cum libri plurimis locis recentiorem accentum habeant, genuinum iam restituit Bekker. Pariter atque *τριήρων* scribendum est *νεοδαμώδων* (codd. plurimi *νεοδαμωδῶν*), si sequimur Aristarchi praeceptum apud Herod. I 428, 13. De *ἰσοπλήθεις* VI 37, 1, pro quo multi libri *ἰσοπληθεῖς*, cf. Herod. II 851, 35 et de *θαλαμιῶν* IV 32, 2 (vulgo *θαλαμίων*) I 119, 25. II 853, 4. Falso Pal. *τρυγητοῦ* pro *τρυγήτου* IV 84, 1. Cf. Herod. I 220, 4. Spitzn. Excurs. XXX ad Hom. Il. Minus confidimus Herodiani praecepto II 709, 21 *τὸ ι καὶ τὸ υ πρὸ τοῦ ξ οὐδέποτε εὑρίσκεται φύσει μακρά*, cuius ipse exceptionem statuit in augmento temporali (*ἴξενον* exemplo utitur), quia a falsa analogia substantivorum in ξ desinentium (*κῆρυξ κήρῡκος*, *φοῖνιξ φοίνῑκος*) videtur ductum esse. Nam in papyris Herculanensibus identidem *ἐπιμειξία*, *παραμείξει*, similia scribuntur, ubi, nisi forte credas vetustam formam, de qua infra dicetur, servatam esse, *ει* pro *ι* longa, ut plerumque, videtur esse. Itaque *κηρῦξαι διαψῦξαι* scribendum esse putamus. Nonnunquam diversi sensus distinguendi causa accentus variatur. Eiusmodi sunt *πόνηρος* et *πονηρός*, de quibus Herod. I 197, 19 *ἰστέον δὲ ὅτι τὸ πόνηρος καὶ μόχθηρος οἱ Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ὀξύνειν προπαροξύνουσιν, ὅταν τὸν ἐπίπονον καὶ ἐπίμοχθον σημαίνῃ, ἐπὶ δὲ τῶν κατὰ ψυχὴν φαύλων ὀξύνουσιν*. Itaque VII 83, 4 recte omnes libri *πονήρως*, VII 48, 1. VIII 24, 5 eorum pars *πόνηρα*; VIII 97, 2 *πονήρων* rescribendum est. Contra idoneis testimoniis destitutum est *βράχεα* ubi vada significantur, quod aliquot libri II 91, 4 habent, qua de re cf. Lob. ad Phryn. p. 536 sq. Saepius accentu distinguuntur nomina propria ab appellativis. Sic *Φαλίος* discernitur a *φαλιός* (Herod. I 123, 17), *Γογγύλος* a *γόγγυλος* (I 164, 4), *Τείχιον* a *τειχίον* (I 358, 10), *Πρωτή* a *πρώτη* (I 343, 28), *Μόλοβρος* a *μολοβρός* (I 204, 25 et 205, 4). Codd. in horum nominum accentu discrepant. Ad similem distinctionem pertinet quod de participialibus docet Herod. I 180, 24 *τὰ διὰ τοῦ μενος μετοχικὰ ὀξύνονται, εἰ μὴ πάθος τι γένηται παρὰ τὴν φωνήν· τότε γὰρ προπαροξύνεται. τὰ δὲ ὀξύτονα ταῦτα· Στησαμενός Ἀκεσαμενός Φαμενός Ἰαμενός Σωζομενός Δεξαμενός Τισαμενός Κλαυσαμενός Ἀρχομενός. τὸ Ἰάλμενος προπαροξύνεται ὡς παθόν, ὥσπερ καὶ Ὄρμενος Κλύμενος ἴκμενος Ἄρμενος*. Itaque *Ἐλλομενῷ* III 94, 1

pro Ἐλλομένῳ scribendum (cf. Ὀρχομενός et Hesych. ἐλλόμενα· περικλειόμενα et ἔλλειν· ἴλλειν, κατέχειν) et Ἰδομενήν III 112, 1 (cf. Steph. Byz.) pro Ἰδομένην et Ἰδομεναῖς III 113, 3 pro Ἰδομέναις. Inveniuntur tamen etiam nomina propria quae Herodiano quidem auctore ab appellativis non discernantur, sed in parte codd. diversum accentum habeant: Ἀστακός (I 149, 9; cf. Steph. Byz.), Μύλαι (I 320, 8. Μυλαί Steph. Byz.), Πρασιαί (I 294, 28), Λεκτόν (I 390, 2), quibus secundum Eustath. p. 359, 22 accedit Ἄξιος; omnes libri II 23, 2 Καρκῖνος habent quod παροξύνεσθαι docet Herod. I 183, 8 idque confirmat Arist. Vesp. 1492. 1496. 1499. 1503. Dubitatio esse potest de Ἰχθῦς promunturii Elidis nomine. Nam Herod. I 236, 14 τὸ ἰχθῦς προσηγορικὸν περιεσπάσθη ἀλόγως docentem si addito προσηγορικόν appellativum a nomine proprio distinxisse statuamus, contra libros Th., qui II 25, 4 Ἰχθὺν aut Ἰχθῦν habent, ex praegresso generali praecepto Ἴχθυν scribendum sit. Sed si ita distinguere voluisset, ille videtur τὸ προσηγορικόν scripturus fuisse, et in hoc nomine Graecos etiam vim appellativi sensisse II 25, 4 verba τὸν Ἰχθῦν καλούμενον et Strab. p. 836 κατὰ τον καλούμενον Ἰχθῦν ostendunt. Reliqua nomina propria quorum accentus Herodiani praeceptis accommodamus haec sunt: Ἥραιον (V 75, 6 codd. omnes, reliquis locis multi Ἡραῖον) pronuntiandum esse docet I 129, 12. 369, 8, Θριῶζε (codd. variante lectione partim Θρίωζε) I 347, 30, Τροιζῆνος Τροιζῆνι Τροιζῆνα (v. l. Τροίζηνος Τροίζηνι Τροίζηνα) I 15, 8. II 861, 11. 757, 13, Σιντῶν Σιντούς (v. l. Σίντων Σίντους) I 216, 20 (cf. Steph. Byz.), Ἐορδούς (v. l. Ἐόρδους) I 143, 18, Ἄλμωπας (v. l. Ἀλμῶπας Ἀλμώπας) I 247, 18 (cf. Steph. Byz.), Νήρικον (v. l. Νηρικόν) I 152, 8, Κρομμυῶνα (IV 42, 4 v. l. Κρομμύωνα) I 22, 23. II 724, 13, Λιμηράν (v. l. Λιμήραν) I 260, 23, Φανοτίδι a Φανοτεύς derivatum (codd. Φανότιδι) I 103, 11. II 852, 9, Δῖον (v. l. Δίον) I 355, 30 (cf. Steph. Byz.), Δραβησκῷ (Δραβήσκῳ I 100, 3 omnes, IV 100, 2 aliquot libri) I 153, 28, Μαιδούς (codd. Μαίδους) I 142, 11 (cf. Steph. Byz.), Ἠδῶνας (IV 109, 2 v. l. Ἤδωνες, IV 102, 2. V 6, 4 Ἤδωνας) I 25, 7, Ἀποδωτοί (codd. III 94, 5 Ἀποδώτοις vel Ἀποδότοις) I 221, 27, Γαληψός (IV 107, 3 vulgo Γάληψος) I 227, 6, Θυσσόν (v. l. Θύσσον Θῦσσον) I 208, 4, Βουκολιῶνα (v. l. Βουκολίωνα) I 20, 18, Τεγέαν (v. l. Τέγεαν) I 284, 17 (cf. Τεγέη apud Herodotum et epicos et Τεγέᾱ in Pind. Nem. X 47), Ἐλωρίνην (codd. plerumque Ἐλωρινήν vel Ἑλωρινήν) II 867, 20, Συκῆν (v. l. Συκήν, corr. Aug. Τυκήν) I 313, 20 (cf. Steph. Byz., apud quem optimus cod. Rhedig. Συκῆ habet), Ἰηλύσου (v. l. Ἰηλυ-

σοῦ) I 213, 21, Πτελεοῦ Πτελεῷ (v. l. Πτελέου Πτελέῳ) I 355, 14, Φασήλιδος (v. l. Φασηλίδος) I 91, 13, Τάμως Τάμων (v. l. Ταμώς Ταμών, Ταμῶς Ταμῶν) ut Ἰνάρως I 245, 14 (quanquam de talibus diversae erant grammaticorum sententiae, de quibus cf. Goettl. de Accent p. 284), Ἰδάκου (v. l. Ἰδακοῦ) I 149, 13. Pauca in quibus Herodiani auctoritas nobis non praesto est haec sunt: I 65, 2. V 18, 8 libri in nomine Σερμυλίων consentiunt, nisi quod pars eorum priore loco Ἑρμυλίων habet. Sed urbis nomen est Σερμυλία (cf. CIA I 446. Steph. Byz.; Herodoto VII 122 veram formam Σερμυλίην pro Σερμύλην reddidit Boeckh.), unde non derivatur Σερμύλιος. In CIA I quattuordecies leguntur Σερμυλιῆς vel Σερβυλιῆς et praeter illud a Steph. Byz. commemoratur Σερμυλιαῖος ὡς παρὰ τὸ Σερμύλιον. Itaque Σερμυλιῶν rescribendum. Cum accentu pariter falso libri plurimi III 94, 1 Οἰνιάδων habent, cum nomen oppidi et Th. et aliis sit Οἰνιάδαι (Οἰνειάδαι falso Steph. Byz. Cf. Soph. Trach. 510 et, cum procul dubio nomen gentis terminatione patronymica factum urbi inditum sit, Οἰνιάδας idem viri nomen in IA 537). Valde libri V 6, 2 fluctuant in accusativo Πολλῆν, pro quo alii Πόλλην vel Πολλήν habent. Sed haec duo posteriora a Πόλλης Πόλλητος (Herod. II 680, 7. 684, 16) duci nequeunt; inter Πολλῆς Πολλῆν autem et Πόλλης Πόλλητα eadem nobis ratio videtur intercedere atque inter Θαλῆς Θαλῆν et Θάλης Θάλητα (Herod II 683, 7). Quod VIII 6, 4 pro Φρῦνιν in parte codd. Φρύνιν legitur, cf. Arist. Nub. 971.

Crasim apud Th. non ubique iis adhibendam esse in quibus fieri potest nec veteres Atticos in eo genere constantes fuisse ex inscriptionibus patet. Nam in titulis ante Euclidem archontem factis haec tantum crasis exempla inveniuntur: τἀθηνάᾳ CIA I 351, τἀθηναίᾳ CIA I 370. IA 4. EA a. 1883 p. 35, τἀθηνᾷ CIA IV 373 w, τἆλλα CIA I 10 (cf. IV p. 5). 32, τἀκρωτήρια DS 4. Nec magis ubique προύχειν προυχώρει προύταξαν contractione facta scribendum est. Nam προέλαβεν est in CIA II add. 834 b I 11, προεδάνεισεν in titulo in Comment. instituti archaeol. V p. 323 exscripto, et ipsum Th. hiatum minime fugisse scimus (cf. Cic. Or. 151). Neque enim decessit a communi suae aetatis usu, quem ostendunt tituli Euclide archonte priores, in quibus frequentissima sunt exempla hiatus qui crasi aut elisione evitari possit. Cf. Cauer p. 291 sq. Dubitaverunt cum crasi utrum τἄλλα an τἆλλα scribendum esset. Sed cum articulus τά elisionem non patiatur, hoc verum esse patet. Cf. τἀγαθά Aesch. Eumen. 881. Eur. Bacch. 285. Hel. 719.

N quod ἐφελκυστικόν dicunt, rectius ἐφελκυστόν dicerent, ne inscriptionum quidem testimoniis ad certam regulam revocare licet. Nam in titulis Euclide archonte antiquioribus saepe ante vocales omittitur, ante consonantes ponitur, perinde atque ante consonantes a poëtis quoque admittitur; posteriore vero tempore in titulis usus eius utrobique magis magisque increbruit.[1]) Sed certa lex quam secuti sint ex antiquioribus quidem titulis cognosci nequit, nisi quod sollemnis fuit eius usus in formulis ἔδοξεν τῇ βουλῇ, ἔδοξεν τῷ δήμῳ, quare ἔδοξεν τῷ δήμῳ scribendum est in populiscito IV 118, 11, et adverbiorum in θεν exeuntium ν finale, quanquam a poëtis in plerisque nonnunquam omittitur, constanter servant, quare V 59, 3 καθύπερθεν praeferendum est. In codicibus quidem Thucydideis rarius ante vocales ν omittitur, velut ἤκουσι Vat. habet I 39, 2, ἔλεξε Laur. I 87, 2, εἴκοσι et ναυσί II 86, 3 et 4 pr. Laur.; multo frequentius ante consonantes ponitur. Atque ante consonantes quidem saepissime in Laur. ν erasum invenitur, rarissime in Vat. scriptum est, velut μέλλουσιν I 86, 2 habet, πέμπουσιν pr. manu II 80, 2, ᾠκοδόμησεν II 100, 2. Sane in Laur. atque II 80, 2 etiam in Vat. ν erasum est ex contrario quorundam magistrorum Byzantinorum praecepto, sed utrum antiquiores illius scripturae ipsius Th. manum an recentiorem ν ubique addendi consuetudinem, quae inde a fine saeculi quarti ante Ch. n. invaluit quamque etiam Maximus Planudes (Bekk. Anecd. p. 1400 sq.) agnoscit, reddant valde dubium est. Omnino autem tam discrepans librorum mss. in ea re est, quantum eam novimus, memoria ut via non aperiatur qua ad ipsius scriptoris manum perveniamus. Ad tempus igitur nulla est ratio qua tralaticiam plurimorum editorum in hac re constantiam derelinquamus, quam ipsum Th. non secutum esse satis certum est. Hoc unum constat, Bekkeri rationem ν in fine membrorum cuiusque sententiae ante consonantes addendi non comprobari antiquis titulis, qui in intermissa oratione multo saepius quam in continua illud et ante vocales et ante consonantes omittunt.

Littera ι quam nos subscribimus in antiquioribus libris aut adscribitur aut omittitur. Hinc corrigenda est vulgata nonnullorum vocabulorum scriptura. Perinde igitur atque ᾗ scribendum est ὅπῃ πανταχῇ (CIA II 1054, 82) λάθρᾳ πολλαχῇ quaeque sunt similia, quibus in codd. nonnunquam ι deest; in πρῴρα contracto ex πρώειρα (cf. Herod. II 411, 11) πρῴραθεν ἀντίπρῳρος ι ser-

1) Cf. Hedde-Maassen de littera ν paragogica (Leipziger Studien IV).

varunt Pal. et Aug. VII 36, 2. 3 itemque in ἀντίπρῳρος solus Pal. IV 8, 7. 14, 1. VII 34, 5; λῄζεσθαι, non ληΐζεσθαι scribendum esse Eur. Troad. 383. 866 ostendunt, pariterque πλῴζω, non πλωΐζω exarandum esse ex Herod. I 444, 7. II 571, 27 (cf. Usener in Annal. phil. a. 1865 p. 242) cognoscitur. De Μινῴα cf. Herod. I 303, 15. II 420, 25 et de καλῴδιον II 541, 4. Δρῷοι nomini ut ι subscribatur II 101, 3 Aug. scriptura Δρῶιοι suadet et in Ἀκροθῴους IV 109, 3 id perperam omitti ex CIA I 37, 4 apparet. Ut nominis clari statuarii Argivi qui a Pausania Ἀγελάδας itemque a Plinio Ageladas appellatur genuinam formam Ἀγελᾴδας fuisse IA 42 ostendit, ita apud Th. non Σθενελαΐδας Ἐρυξιλαΐδας, sed Σθενελᾴδας Ἐρυξιλᾴδας scribendum est. Cf. Φιλάιδης CIA II 983, 140 et Φιλάδης ibidem 985 i 19, Λάιδας DS 389, 26 et Λάδας DS 258, 1. VII 39, 1 optimi codd. πρωΐτερον vel πρότερον, VIII 101, 3 plerique πρωΐτερον et VII 19, 1 optimorum tres πρωΐτατα habent. Haec cum a πρῴ, pro quo item in libris πρωΐ invenitur (cf. Arist. Vesp. 104), derivata sint, patet πρῴτερον πρῴτατα scribendum esse. Nam πρωΐτερον et πρωΐτατα Ionica sunt a Ionico πρωΐ ducta. Quod in It. VII 19, 1 πρώτατα γρ. legitur, haec scriptura tradita praeterea est in M., in cuius margine πρωΐτατα est. De πρῴην, cuius ι III 113, 4 in omnibus libris omissum est, cf. Herod. I 490, 4. II 574, 26. Ex inscriptionibus, quibus pars grammaticorum accedit, satis constat veteres Atticos σῴζω (CIA I 97. II 268, 13. 332, 35. 793, 5. 972, 7) θνῄσκω (EA a. 1884 p. 65 sq.) dixisse et ι subscriptum horum verborum praesentibus et imperfectis ubique addendum esse, idemque de μιμνῄσκω grammaticorum (Herod. 551, 15. Etym. m. 452, 29) testimonio constat. Cf. Weckl. Cur. epigr. p. 46. Quod vero ἔσῳσεν in CIA II 605, 6 legitur, monendum est inde a Macedonica aetate hoc ι, cum pronuntiari desineretur, nonnunquam falso et omissum et additum esse. Nam tempora praeter praes. et imperf. a σώω (= σαόω) ducta esse σέσωμαι ἐσώθην ostendunt, nec magis verum est ἔσῳσε quam σεσῳμένους CIA II 225, 11, quod saltem debebat σεσῳσμένους esse. Praeterea in CIA I nomina propria a Σωσι incipientia hoc ι omnia carent. Itaque IV 62, 2 falso additur ι a Pal. et M. in ξυνδιασῶισαι. Idem valet in οὕτωι, quod in Vat. I 37, 1 legitur, quanquam inter grammaticos fuerunt qui in adverbiis in ω exeuntibus additum ι probarent (cf. Usener l. l. p. 248 sqq.). Cum enim origo eius terminationis obstet (cf. G. Meyeri Gram. Gr. § 303 et 115), in οὕτωι non magis causam ι habet quam in ἔφηι et πλείωι, quae idem Vat. I 37, 2. 67, 4 habet.

Omnium frequentissima sunt itacismi vitia neque ullum magis vulgatum quam ι et ει vocalium permutatio. Atque in nominibus quidem propriis his veram scripturam inscriptiones praebent: *Κάμιρος* VIII 44, 2 recte plurimi codd. habent (cf. indicem CIA I et Herod. I 198, 3. II 530, 1). *Στάγιρος* autem nominis vera scriptura (cf. ind. CIA I et Herod. II 449, 5) in libris mss. prorsus evanuit. Nomen viri Corcyraei I 47, 1 esse *Μικιάδης* (plurimi codd. *Μεικ.*) docent *Μικκιάδης* (cf. *μίκκος*) IA add. 380 a et *Μικίων* CIA I 418. 438. II 982. 983. 1047. 1049 et *Μικύλος* DS 404, 31. *Κρωπιά* pagi Attici nomen fuisse (codd. plerique *Κρωπειᾶς* II 19, 2) *Κρωπίδης* *δημοτικόν* inde derivatum (CIA II 315. 470. 864) ostendit (cf. Herod. I 291, 2). Simile est *Πρασιαί* (optimi codd. VIII 95, 1 *Πρασείων*). Cf. *δημοτικόν* inde ductum *Πρασιεύς* CIA II 994, 19. 20. Steph. Byz. Idem oppidi Laconici nomen, quod praeter accentum, de quo supra monuimus, II 56, 6. VII 18, 3 omnes libri tuentur, VI 105, 2 solus Vat. habet, cum in reliquis sit *Πρασίαν* vel *Πρασιάν*. Cf. Arist. Pac. 242 et Steph. Byz. Denique verum est *Ανακίῳ* pro codd. *'Ανακείῳ* VIII 93, 1 secundum CIA II 660, 44 (cf. *'Ελευσίνιον* DS 13, 29). Contra *Ποτείδαια* (cf. ind. CIA I et II 58. 59. Arist. Equ. 438; codd. ubique *Ποτίδαια*), cuius oppidi incolarum nomen cum in titulis *Ποτειδεᾶται* (CIA I 240. 241. 242. 244) et *Ποτειδειᾶται* (CIA I 236. IA 70) sit, longiorem formam Th. libri tuentur. Pariter *Φλειοῦς* *Φλειάσιος* (CIA I 45. II 57 b. IA 70); verae scripturae vestigia in Th. codd. haec manserunt: *Φλειασίαν* Pal. V 115, 1 idemque V 57, 2 *Φιλειοῦντα*, V 58, 2 *Φλειοῦντα* H., V 57, 2. 58, 2 *Φλοιοῦντα* I. et V 58, 1 C. I. similiaque in M. inveniri meminimus. Cum urbs, ut testatur Herod. I 243, 16, nomen a verbo *φλεῖν* duxerit, de origine ει vocalis cf. quae disputavit Usener in Annal. phil. a. 1872 p. 742 sq. Porro ει habent *Διειτρέφης* (CIA I 402. 447. II 667. add. 834 b; codd. *Διιτρ.* vel *Διοτρ.*), *Τεισίας* *Τεισίμαχος* *Τεισαμενός* *Τείσανδρος* (sic constanter in titulis ante Romanam aetatem perinde ac *τεῖσαι* *ἀποτεῖσαι*, nec solum in Atticis, sed etiam in aliarum gentium, qua de re cf. ind. IA), *Μελίτεια* (CS 1415; codd. IV 78, 1 *Μελιτίαν*; duplicem tamen nominis formam, *Μελίταια* et *Μελίτεια*, agnoscit Herod. I 272, 35. II 549, 24 idque confirmat in titulo *ἐθνικόν* *Μελιταιεύς*). Deinde Herodiano auctore scribendum *Κεκρυφάλεια* (I 278, 34), *Γεράνεια* (I 275, 29), *Λαύρειον* (I 371, 6. II 459, 41), *Μολύκρειον* (I 299, 25. 374, 18), *Κροκύλειον* (I 373, 17. II 460, 2), *Σολύγειος* (I 136, 28), *'Αλύζεια* (I 277, 18), *'Ηετιώνεια* (I 278, 17), *'Ροίτειον* (I 371, 9. II 459, 9), in quibus

aut pars librorum aut omnes ι pro ει habent. Cum varium fuerit nomen urbis Adramyttei, mutatis inter se non solum ει et ι, sed etiam δ et τ, qua de re cf. Herod. I 373, 11. II 467, 23, quae varietas etiam in codd. compareret, Th. *Ἀτραμύττειον* dixisse testatur Oro auctore schol. V 1 *Ἀτραμύττειον*] *Ὧρου· Ἀδραμύττειον Εὔπολις, Ἀτραμύττειον Θουκυδίδης*. In nummis *Ἀδραμύτιον* (Eckh. Doctr. num. II p. 448), quocum cf. *Ἀδραμυτηνός* CIA II 470, 110. Sed *Ἀτραμυτηνός* ibid. 983, 117. Pro *Λαοδικίῳ* IV 134, 1 *Λαοδοκείῳ* auctore Bursiano in Geogr. Gr. II p. 227, 4 rescribendum esse censemus, cum item apud Polyb. II 51, 3. 55, 3 *Λαδοκείοις Λαδόκεια* nunc restitutum sit. Contra Steph. Byz. auctore I 129, 1 *Δασκυλῖτιν* (Reg. *Δασκυλεῖτιν*) et II 99, 2 *Ἐλιμιῶται* (*Ἐλιμειῶται* pars codd.) praeferimus, quanquam, ut ipse Steph. indicat, iam antiquo tempore de horum nominum formis dubitatum est. De ι et ει vocalium extra nomina propria permutatione haec monemus. Primum ex inscriptionum testimonio (*συμμείξ⟨ας⟩* CIA I 492, ubique *σύμμεικτος*, quare *σύμμικτα* falso supplevit Koehler II 645, 12. 656, 4, *Μειξίας Μειξικλῆς* quotque nomina propria similiter sunt formata) contra librorum memoriam *μειγνύναι μεῖξαι* (cf. *δεικνύναι δεῖξαι*) *ξύμμεικτος ἄμεικτος ἀμειξία* scribendum est, similiterque *νείφω* (cf. I. Schmidt Zur Gesch. des Indogerm. Vokalismus I p. 314; pars codd. III 23, 5 *ὑπονιφομένη*, IV 103, 2 *ὑπένιφεν*); deinde *ἀνδρεία* (libri partim *ἀνδρία*) secundum Herod. I 292, 9. II 476, 3, cuius doctrinam et Ionicum *ἀνδρηίη* (Herod. VII 99) et poëtarum scaenicorum usus confirmat, apud quos unus locus (Arist. Nub. 510) diphthongum postulat, reliqui (Aesch. Sept. 52. Soph. El. 983. Eur. El. 845. Troad. 674. Arist Equ. 268) tolerant (nam Eur. Herc. 475 nunc pro certa habetur Elmsleii emendatio *εὐανδρίᾳ* pro *ἐπ' ἀνδρίᾳ*); porro *ὁμηρεία* ab *ὁμηρεύω* ductum (Herod. II 560, 3; pars codd. VIII 45, 2 *ὁμηρία*) itemque *γυμνητεία* (pars codd. VII 37, 2 *γυμνητία*), quod pariter a *γυμνητεύω* derivatur atque *ἱππεία* ab *ἱππεύω*; denique *κηρυκεῖον* (Herod. I 375, 30; pars codd. I 53, 1 *κηρυκίον*). Non probamus quod Herwerdenus VII 75, 6 *αἴκεια* scripsit pro *αἰκία* codd., quod nomen ab *ἀεικής αἰκής* ductum esset; quanquam enim apud tragicos paenultimam ubique longam habet, eadem in Arist. Eccl. 663 brevis est (cf. Mey. Gram. § 113). Nihil certius est quam falsas esse formas *φιλόνεικος* et inde derivata *φιλονεικία* et *φιλονεικεῖν* et ubique restituendum esse *φιλόνικος φιλονικία φιλονικεῖν*, quanquam haec depravatio iam Herodiano imposuit II 445, 6 scribenti *φιλόνικος ἐπὶ τοῦ τὴν νίκην φιλοῦντος, τὸ δὲ φιλόνεικος*

διὰ τῆς ει διφθόγγου παρὰ τὸ νεῖκος ἐγένετο. Nam certa analogia docet, si a νεῖκος originem illa ducant, adiectivi formam φιλονεικής, non φιλόνεικος esse oportere. Nam in toto hoc compositionis genere neutra in ος terminationem ης (-αλγής -ανθής -αχής -βαρής -βελής -γενής -επής -ερκής -ετής -θαρσής -κλεής -κρατής -κυδής -μενής -μηκής -μερής -νεφής -παθής -πενθής -πληθής -σθενής -τειχής -τελής -τευχής -φαής) efficiunt. Sic a νεῖκος ducitur Πολυνείκης, cuius nominis originem designant Soph. Ant. 111. Eur. Phoen. 1494, πολυνεικής (Aesch. Sept. 830) ἀμφινεικής (Soph. Trach. 104). Neque minus propter significationem φιλονεικία reiciendum est. Nam νεῖκος rixam, controversiam, pugnam significat, non certandi vim habet, unde oriri possit φιλονεικία vocabulo ambitionis notio. Denique rem maxime confirmat Plat. de Rep. 581 b. 582 e, ubi in codd. quidem φιλόνεικον et φιλόνεικος legitur, sed ipse Plato eorum vocabulorum originem a νικᾶν et νίκη repetit. Recte igitur schol. ad Plat. Alc. 122 c, ubi item φιλονεικίαν traditum est, σημείωσαι φιλονικίαν διὰ τοῦ ῑ, τὴν φιλίαν τῆς νίκης. Cf. Bekk. Anecd. p. 315, 23 φιλόνεικος· ὁ παρὰ τὸ βέλτιστον νικᾶν θέλων. Veram formam φιλονικίας apud Th. I 41, 3 Pal. servavit. Parum recte ὠφελία ab Herod. II 611, 1 ποιητικώτερον quam ὠφέλεια dici et poëtarum scaenicorum usus ostendit, qui utraque forma promiscue utuntur (ὠφέλεια Soph. El. 944. Arist. Thesm. 193, ὠφελία Eur. Androm. 539. Arist. Eccl. 576), et ὠφελία CIA I 85, 3; apud Thucydidem ut apud Platonem (cf. Schanzii Proll. ad Plat. II 2 p. VII sqq.) ὠφελία maiore librorum auctoritate videtur commendari itemque προμηθία (cf. Herod. II 453, 15), qua forma tragici sola usi sunt (cf. Dind. lex. Soph. s. v.). Ut προεδρίαν CIA II 316, 24. DS 345. Arist. Equ. 575. 702 legimus, sic I 126, 8 προσεδρίᾳ (codd. longe plurimi et optimi προσεδρείᾳ) scribendum est. Aperte falsum est ἑταιρείας III 62, 5 in paucis libris traditum (cf. Herod. II 512, 22), nec probatur discrimen quod inter ἑταιρίαν, amicitiam, et ἑταιρείαν, sodalitium, Lob. ad Soph. Ai. 682 et Dind. in Steph. Thes. statuunt. Neque magis credimus Th. usquam στρατιά pro στρατεία dixisse, quanquam cum eo sensu dictum est ab Aristophane (cf. Kock. ad Equ. 587) et legitur in CIA II 176. Nam cum pro expeditione ab Aristophane nusquam στρατεία dicatur, a tragicis nusquam στρατιά (cf. Aesch. Ag. 603. Eum. 631. Eur. Suppl. 23. 116. 229 et Aesch. Pers. 9. 25. 534. 857. 918. Ag. 799. Eur. Hec. 133. Iph. A. 171. 753. Rhes. 6. 15. 19. 38. 233), sed duobus locis pro exercitu στρατεία (Eur. Iph. A. 495. Rhes. 263), illum usum sermoni vulgari tribuendum

esse efficitur. Itaque apud Th., cuius dictio a sermone vulgari aliena est, I 9, 3. 10, 3. IV 70, 1. V 60, 6 etiam contra plurimorum librorum memoriam στρατεία praeferendum est, praesertim cum IV 70, 1 calami vitium etiam collato IV 74, 1, ubi eadem res memoratur, manifestum fiat et reliquis centum et sexaginta locis libri in στρατιά fere consentiant. Deinde ει per errorem cum falso simul accentu (cf. Herod. II 476, 25) scriptum est in ἀντήρειδας pro ἀντηρίδας, quod pars codd. VI 36, 2 habet, ut ostendit Eur. fragm. 918 (Dind.) Rhes. 785. Hesych. s. v. Item pro ἐνείλλοντες II 76, 1 ἐνίλλοντες rescribendum est; legitimum enim est aut ἴλλω (Mey. Gr. Gr. § 497) aut εἴλω (ibid. § 499) vel εἰλέω. Tum ἀκηρυκτί II 1 ex Laur. (plerique ἀκηρυκτεί) recipere licere, id quod commendant ἀκονιτί (cf. Herod. II 464, 15) et ὀνομαστί libris consentientibus tradita, ἀστακτί cum brevi ultima apud Soph. OC. 1251 (eandem longam habet ibid. 1646) et ὀνομαστί CIA I 40, 44 ostendunt; similiterque VII 1, 1 πανσυδί (F. et Poll. VI 162 πασσυδί, de quo cf. πανσέληνος VII 50, 4. Soph. OR. 1090, πάνσοφος Aesch. Suppl. 319, πανσαγίᾳ Soph. Ant. 107) codd. longe plurimi et optimi tuentur, quanquam Aelius Dionysius apud Eustath. p. 136, 18 hunc locum afferens πανσυδεί scribit et Suïd. πασσυδεί, hic tamen praeterea commemorans scripturam πανσυδί (cf. Poll. l. l.); contra ει in iis locum habere quae, velut ἀμαχεί et πανδημεί, a substantivis primae et secundae declinationis derivantur ἀσυλεί et ἀσπονδεί CIA I 41, 13. DS 84 probant. Cf. Mey. Gr. Gr. § 350. Denique de λιποστρατία λιποστράτιον λιποψυχεῖν (codd. partim λειπο —) cf. Soph. fragm. 440 (Dind.) Eur. Or. 1305.

Ut ι et ει ita posterioris temporis pronuntiatione inter se permutata sunt αι et ε. Sic pro Αἰθαιῆς, quam scripturam Steph. Byz. s. v. Αἴθαια testatur, I 101, 2 in codd. Αἰθεεῖς vulgatur, pro Καιάδαν I 134, 4, de quo cf. Strab. p. 367. Hesych. s v. καίατα, Suid. s. v., in nonnullis libris ut apud Paus. IV 18, 3 Κεάδαν est. In paucioribus codd. identidem Αἴγεστα Αἰγεσταῖοι legitur; sed Ἔγεστα Ἐγεσταῖοι Steph. Byz. (cf. Herod. I 223, 19) et Ἐγεσταίων Σεγεσταίων in nummis (cf. Eckh. Doctr. num. I p. 234) et apud Latinos Egesta Segesta. Item VIII 106, 3 in plurimis libris Πελληναίων pro Πελληνέων (cf. Steph. Byz. s. v.). In codd. prorsus evanuit antiquum oppidi Ionici Αἰραί nomen VIII 19, 4. 20, 2, quod solum praebet Steph. Byz. s. v. confirmatum antiquis titulis (cf. in ind. CIA I Αἰραῖοι Αἰραιῆς). Novicia forma Ἐραί invenitur etiam apud Strab. p. 644. De Leontinorum loci V 4, 3 commemorati nomine schol. Φωκέας] οἱ μὲν ἐκτεταμένως ἀναγιγνώσ-

κουσιν, *ὡς Πρασιάς* (*Πρασειάς*?), *οἱ δὲ συνεσταλμένως*. Cum aliunde ille notus non sit, plurimorum codd. scriptura *Φωκαίας* videtur praeferenda esse. Contra perperam *Θυραίαν* pro *Θυρέαν* (cf. Herod. I 284, 20. II 523, 5) pars codd. II 27, 2. IV 56, 2. 57, 3. V 41, 2. Attice *Ἀλκμεωνιδῶν* VI 59, 4 unus Laur. ut CIA I 433. II 946. Recte in Th. libris plerumque appellatur nomen Lacedaemoniorum ducis *Πεδάριτος*; sed praeterea invenitur *Παιδάριτος Πεδάρητος*. Nam *Πεδ*(= *μετά*)-*άριτος* formatum est ut *Ἐπάριτοι*, delecta Arcadum manus (cf. Xen. Hist. Gr. VII 4, 22. 33. 36. 5, 3. Hesych. s. v. *Ἐπαρόητοι*), et *Ἐπ-ήριτος* (Hom. Od. XXIV 306). Falso igitur in Plut. Lyc. 25. Mor. 231 b. 241 d *Παιδάρητος*, Mor. 191 f *Παιδάρετος* scribitur.

Rarius eodem modo *ι* et *η* confusa sunt, quale in aliquot codd. est *Μελίσανδρον* II 69, 1 pro *Μελήσανδρον* (CIA II 801) et *Λυγκισταί Λυγκιστῶν* II 99, 2. IV 79, 2. 83, 2 pro *Λυγκησταί Λυγκηστῶν* (cf. Steph. Byz. et Lyncestae apud Liv. XXXXV 30, 6). Eodem pertinet *Ψαμμιτίχου*, quod in multis libris I 104, 1 legitur, si in celeberrimo titulo ad Nubiae locum Abu-Simbel invento (IA 482) *Ψαμματίχου Ψαμματίχῳ* in antepaenultima *ᾱ* pro *η* habent, ut ibidem *Ἐλεφαντίναν* et *Ἰαλύσιος*.

Praeterea itacismi vitio *ι* pro *υ* scriptum est in *μολίβδῳ*, quod plurimi libri I 93, 5 habent, (cf. CIA II 807. add. 834 b 40) et in deterioribus libris *Παντακίου* VI 4, 1 pro *Παντακύου* (Pantagyae Med. Pal. Rom. sched. Vat. in Verg. Aen. III 689); contra *υ* pro *ι* in *Μουνυχία* pro *Μουνιχία* ex falsa nominis derivatione ubique irrepsit (cf. CIA I 215. 273. IV 191 quaeque congessit Meisterh. § 8, 6 et Ahrens in Mus. Rhen. XVII p. 362); similiter in optimis libris VIII 95, 1 *Θορυκοῦ* pro *Θορικοῦ* (cf. CIA I 189 a) et *Φώτυος* II 80, 5 pro *Φώτιος*, quae sola aliunde nota est nominis forma, et in Laur. et quattuor deterioribus VI 5, 1 *Μιλητίδαι* pro *Μυλητίδαι*, si in nomine aliunde non noto fides est reliquis libris, qui praeter *Μυτιλίδαι* M. et *Μυλιτίδαι* Cass. Mosqu. alteram formam tuentur. Pro *υ* falso *ει* habent libri longe plurimi in *Πειράσιοι* pro *Πυράσιοι* II 22, 3 (cf. Strab. p. 435 et Steph. Byz.); nam *Πειρασίας* urbis *ἐθνικόν* secundum Steph. est *Πειρασιεύς*.

In formis verbi *κλήω* ut in *κλῆσις κλῃστός* omnibus locis pars librorum *ει* habent. Sed veteres Atticos *κλῆσαι* dixisse testatur Photius s. v. idemque de ipso Th. traditur in Crameri Anecd. Ox. I p. 226 (cf. *κλῄς* in CIA II 675, 44).

Pro *ε* contra librorum memoriam videtur *ει* rescribendum

esse in δωρεάν III 58, 1 propter CIA I 8. IV 25 et veterum poëtarum scaenicorum usum, apud quos omnibus locis (Aesch. Prom. 338. 616. Soph. Ai. 1032) eius vocabuli paenultima pro longa haberi potest (contra brevis est in Phoenicidis, recentioris comoediae poëtae, fragm. 4, 7. 9. 10 Mein.). Cf. φορβειᾷ Arist. Vesp. 582. Item longior forma Κεγχρειά Κεγχρειαί, de qua cf. Steph. Byz. s. v. Αἴνεια et Herod. I 285, 3. II 561, 19, maiore codd. auctoritate commendatur (Κεγχρεῶν VIII 10, 1. 23, 1 Vat., Κεγχρεὰς VIII 20, 1 E.). Contra IV 119, 2 Αἰνέας propter consensum librorum mss., qui hoc aut Ἐνέας habent, et CIA I 478 praeferendum longiori formae Αἰνείας, quae apud schol. Arist. Equ. 791 legitur (cf. Herod. II 347, 20. 470, 25). Nec credendum Photio et qui eum exscripsit Suidae docentibus ἐωθώς χωρὶς τοῦ ι Ἄρχιππος καὶ Ἀράρως ἑώθας καὶ Θουκυδίδης ἑώθεσαν. Nam quae ex duobus comicis afferunt vel ideo suspicionem movent quod reliquis comicorum locis omnibus ει metri causa aut postulatur (cf. Arist. Pac. 730. 853. Menand. fragm. 619. 649 Mein.) aut toleratur, neque aliter apud tragicos. Itaque non magis de Th. res credi potest. Cum optimorum librorum consensu comprobetur Th. ἐς pro εἰς dixisse (nam temere Meisterh. § 49, 5 suspicatur hanc esse antiquiorem scribendi rationem ab Alexandrinis relictam, cum nulla sint indicia quibus Th. antiquiore litteratura usum esse appareat, quam ne Euripidem quidem adhibuisse eius fragm. 385 (Dind.) ostendit), etiam in ἔσω eum sibi constitisse et ne in dupliciter quidem compositis ἐπεισ- tolerandum esse putamus.

Pro Τριταιέας vel Τριτοιέας, quod codd. III 101, 2 praebent, Τριτέας, ut apud Herodot. VIII 33 legitur, secundum Hesych. Τριτῆες γενεήν scribendum esse docet Meinek. ad Steph. Byz. s. v. Τρίτεια. Quod ibidem scribitur Χαλαίους retinendum esse putamus, quanquam in titulis Locrensibus IA 321. 322 Χαλειεῖς vocantur et nomen oppidi ibidem Χάλειον sonat, cum Steph. Byz. non solum Χαλαίους ex hoc Th. loco, sed etiam Χάλαιον ex Hecataeo afferat, quam appellationem assumpsit Plin. H. N. IV 3, 7. Cf. Μελίτεια Μελίταια, de quibus supra dictum est. Neque magis quod in catalogis tributorum ubique Σίγγιοι nominantur, ideo V 18, 6 Σιγγίους pro Σιγγαίους scribendum esse putamus. Nam non solum Steph. Byz. τὸ ἐθνικὸν Σιγγαῖος esse dicit, sed etiam in ipsis catalogis eandem varietatem Σκαψαῖοι Σκάψιοι ostendunt.

Falsam esse scripturam ἀνακωχή et διακωχή iam dudum observatum est. Huius enim generis substantiva eadem ratione finguntur qua reduplicata eiusdem stirpis perfecta secunda. Ex ea

igitur analogia quam ostendunt ὄδωδα ὀδωδή, ὄπωπα ὀπωπή ad ὄκωχα, antiquum ἔχειν verbi perfectum, ὀκωχή convenit. Alia ratione hanc formam veram esse Herod. I 334, 23 probavit: ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τρισυλλάβων οἷον ἀγωγή ἔδει εἶναι ἀγή καὶ γέγονεν ἀγωγή, ὁμοίως ἔδω ἐδή ἐδωδή, ὄζω ὀδή ὀδωδή, ὄπτω ὀπή ὀπωπή, ἔχω ὀχή ὀκωχή. Praeterea Th. ἀνοκωχή scripsisse diserto grammatici testimonio in Bekk. Anecd. p. 406 constat: ἀνοκωχὴν διὰ τοῦ ο τὴν ἀνοχὴν λέγουσι· πολὺ δὲ ἔστι παρὰ Θουκυδίδῃ. Pariter παροκωχῇ VI 85, 2 pro παροχῇ restituendum est teste Phot. παροκωχή· παροχὴ παρὰ Θουκυδίδῃ, ὡς ἡ ἀνοκωχή καὶ διοκωχή. Verae formae ex libris mss. prorsus evanuerunt. Eodem vitio Σπαρδάκου II 101, 5 legitur, ubi solus Laur. Σπαρδόκου, quod una littera amplificatum est in Σπαραδόκου IV 101, 5. Cum sine dubio idem nomen sit atque Σπάρτοκος CIA II 311. DS 101, quia δ et τ alternari posse similis ambiguitas nominum Ἀδραμύττειον Ἀτραμύττειον, Μηκυβερναῖοι Μηκυπερναῖοι (cf. ind. CIA I), Ἀμβρακιώτης Ἀμπρακιώτης (cf. Herod. II 474, 19) ostendit, Σπαρδόκου legendum esse videretur, nisi in nummis huius ipsius Odrysarum regis Σπαραδόκου legeretur (cf. Bull. de corresp. Hellén. III p. 409 sqq.) Rex Persarum ubique in parte librorum Ἀρτοξέρξης vocatur, quod nomen vitiatum esse non solum similiter composita Ἀρτάβαζος et Ἀρταφέρνης, sed etiam DS 76, 1. 18. 33 demonstrant. Pariter pro Μυονέας III 102, 2 Μυανέας substituendum est, cum ita constanter nomen in titulis Delphicis scriptum sit. Cf. DS 462 ibique adn. Contra nulla est causa cur IV 27, 3 optimorum librorum scriptura Θεογένους (cf. CIA I 447. Arist. Vesp. 1183. Av. 1127) aequabilitatis causa propter V 19, 2. 24, 1 in Θεαγένους mutetur, cum in antiquis titulis utraque forma inveniatur et num idem vir appelletur dubium sit.

Ut παιάν, quam solam formam agnoscit Herod. II 626, 13. 642, 10. 717, 4. 9. 15 (cf. παιᾶνας CIA II 628, 19), sic παιανίζειν παιανισμός scribendum est, in quibus vocabulis ubique in plurimis codd. ω pro α scriptum invenitur. Simili ω et α litterarum permutatione Μεθώνην IV 45, 2. V 18, 7 in omnibus libris legitur pro Μέθανα, quod suo tempore in plerisque libris Thucydideis fuisse atque veram formam esse testatur Strab. p. 374 μεταξὺ δὲ Τροιζῆνος καὶ Ἐπιδαύρου χωρίον ἦν ἐρυμνὸν Μέθανα καὶ χερρόνησος ὁμώνυμος τούτῳ· παρὰ Θουκυδίδῃ δὲ ἔν τισιν ἀντιγράφοις Μεθώνη φέρεται ὁμωνύμως τῇ Μακεδονικῇ. Accedit quod Μεθάνιοι in eiusdem temporis titulo (IA 46) exstat et Μέθανα nomen oppidi non solum a Paus. II 34, 3. 4 et Scyl. 47, sed etiam in

omnibus nummis (cf. Eckh. Doctr. num. II p. 290 sq.) scribitur. Scripturam iam suo tempore depravatam recepit Diod. XII 56, 7. *Λευκωνίᾳ*, ut est apud Plut. Mor. 245 a et Polyaen. VIII 65, solus E. VIII 24, 3 habet; reliquorum auctoritate *Λευκωνίῳ* comprobatur. Cf. *Τριόπιον Τριοπία* apud Steph. Byz.

Unum habemus *ι* pro *α* scripti exemplum. Nam inscriptionum testimoniis (CIA I 42. 43. DS 81), quibus accedunt Aristot. Pol. V 10 p. 1311 b. Strab. p. 326, facilius credideris Lyncestarum regem *Ἀρραβαῖον* vocatum esse quam *Ἀρριβαῖον*, ut in codd. ubique legitur. Contra vir Lacedaemonius qui VIII 26, 1 in omnibus codd. *Θηραμένης* vocatur, reliquis locis in It. et Pal. et saepius in Aug. et deterioribus aliquot *Θηριμένης* audit, hoc nomine discerni videtur a Theramene illo Atheniensi. Cf. *Θηρικλῆς Θηρίμαχος*.

VI 55, 1 in codd. longe plurimis et optimis *Ὑπερεχίδου* est; verum est *Ὑπεροχίδου*, quod Valla legit, derivatum ab *Ὑπέροχος*. Cf. Meinek. in Herm. III p. 372. Contra idem vitium in *Κερκύρα Κερκυραῖος* commissum et ubique contra librorum consensum *Κορκύρα Κορκυραῖος* rescribendum esse evinci nequit. Quanquam enim in nummis (cf. Eckh. Doctr. num. II p. 178) et in titulis Corcyraeis CD 90. DS 67. 68 et in Atticis CIA I 179. II 968. add. 49 b hanc formam nomen habet et in Arist. Av. 1463 nunc *Κορκυραῖα τοιαυτὶ πτερά* legitur idque agnoscit ibi schol., tamen in CIA II 49 (375/4 a. Ch.) bis *Κερκυραίων* scriptum est et *Κερκύρᾳ* in Cumanudis Inscr. sepulcr. Att. 14, quem titulum a. 373 a. Ch. Cumanudes tribuit. Nam haec exempla non tanto distant a. Th. aetate ut ad eam nihil pertineant, neque ex uno antiquiore titulo Attico CIA I 179 pro certo concludi potest apud Athenienses tum solum *Κορκύρα* in usu fuisse. Praeterea eadem est in hoc nomine vocalis variatio atque in *Ἐρχομενός Ὀρχομενός* (CIA II 21. 332. CS 488 A), *Κρεμμυών Κρομμυών* (Strab. p. 280. Herod. I 22, 22) *Τρεφώνιος* (CS 425) *Τροφώνιος*. Cum igitur talibus cautionem esse adhibendam appareat, non magis, quod *Τροζήνιος* est in CIA II 614. add. 834 c 57. 58 (cf. IA 70), ideo certum esse putamus eandem nominis formam Th. reddendam esse; nam pauciora sunt haec exempla et in titulo Ionico satis antiquo (350 a. Ch.) DS 77, 19 *Τροιζήνιος* est et in titulo Halicarnassensi Attice scripto saeculi primi vel alterius a. Ch. DS 372 *Τροιζῆνος*; praeterea in nummis *TPO* et *TPOIZHN* (Eckh. Doctr. num. II p. 291). Etiam minus probatur *Σεκυώνιος*, quod est in IA 70. add. 27 a. c. 107, Th. inferendum esse; nam *Σικυώνιος* est in quarti saeculi titulo Attico

DS 414 (cf. ibid. 419) et in Sicyonio antiquis litteris exarato (Bull. de corresp. Hell. V p. 351) *Σικυῶ*.

Licet recte completum sit *Δι>ο<σκ>ουρίδου* CIA II 66 (quanquam alibi haec forma in titulis Atticis non prior est tertio a. Chr. saeculo; cf. DS 418), tamen III 75, 3 *Διοσκόρων*, quod Laur. Chr. praebent, praeferendum esse alteri scripturae *Διοσκούρων* poëtarum scaenicorum usus (Eur. Hel. 1644. 1667, Or. 465. El. 1239. Arist. Pac. 285. Eccl. 1069. Amphid. fragm. 9. Menand. fragm. 719) docet. Pariter *Διοσκόρειον* IV 110, 1 (*Διοσκούρειον* aut *Διοσκούριον* libri), de cuius reliqua formatione cf. *Ἀσκληπιός Ἀσκληπιεῖον* (CIA II 256 b), *Ἥφαιστος Ἡφαιστεῖον*, *Ἴακχος Ἰακχεῖον*.

Pro *ἄπωθεν*, quam formam veram esse et Herod. I 500, 25 docet et poëtarum scaenicorum usus (cf. Soph. Ant. 1206. Trach. 816. Eur. Heracl. 674. Iph. A. 983. Iph. T. 108. Arist. Av. 1184. Plut. 674) confirmat, apud Th. omnibus locis in parte codd. *ἄποθεν* legitur. Contra *πλόιμος* alteri scripturae *πλώιμος* praeferendum est. Nam hoc a *πλέω* derivatur perinde atque *μόνιμος* a *μένω* et Soph. OC. 663 cum ω non *πλώιμος* dixit sed *πλώσιμος*.

Similiter praeferendum est *πανοικεσίᾳ* (sic III 57, 2 Pal. cum aliquot deterioribus, II 16, 1 pauci deteriores) alteri scripturae *πανοικησίᾳ*; nam et forma et vis eius vocabuli (valet enim *πᾶσι τοῖς οἰκέταις*) revocanda est ad *οἰκέτης* ut *ὑπηρεσία* ad *ὑπηρέτης*. Moeris quidem *πανοικησίᾳ Ἀττικοί*, *πανοικί Ἕλληνες*, sed Poll. VI 163 *πανοικεσίᾳ* ex Antiphonte affert. Quod autem pro *ἐθάς*, consuetus, II 44, 2 Herwerdenus *ἠθάς* reposuit (cf. Soph. El. 372. Eur. Cycl. 250. Andr. 818), consuetudo Th. *ἔθος* est (I 123, 1. II 16, 1. 64, 2. IV 32, 1; cf. Soph. Phil. 894. Eur. Suppl. 340), *ἤθη* mores (II 61, 4. VI 18, 7), et utramque formam agnoscit Ael. Dionysius apud Eustath. p. 1480, 12.

Th. *αἰεί* scripsisse Marcell. 52 testatur his verbis: *χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ ἀτθίδι, ὅταν . . . τὴν δίφθογγον τὴν αι ἀντὶ τοῦ α γράφῃ αἰεί λέγων*, quae scriptura constanter in Pal. et plurimis locis in Aug. (cf. Weidneri Parerg. p. 9) et M. servata est. Cum in antiquis inscriptionibus pariter *αἰεί* et *ἀεί* inveniatur (cf. Meisterh. § 9, 1), non est cur Th. non perinde atque Antiphonti *αἰεί* reddatur. Nimius tamen est Herwerdenus, quod nullo testimonio adiutus ubique *Ἀχαιικός Παναθηναιικός Κερκυραιικός Θηβαιίδα* similia duplici ι scribenda esse dicit. Nam in talibus unum ι elidi potuisse et *Εὐβοῖδα* ostendit Soph. Trach. 74. Eur. Ion. 60 (contra *Ἀχαιίδα* Aesch. Sept. 28) et *Φωκαῖδες* CIA I 199, *Φωκαΐς* II 649. 660, *Φωκαικός* II 651. 660. 708, *Ἀχαϊκός* II 723 (contra

Ἀχαικός II 716). Plurimorum et optimorum librorum auctoritate commendatur ἐλάας VI 99, 3. VII 81 4, et praeter ἐλαῖαι CIA IV 279 a item in titulis Atticis est ἐλάα (cf. EA. a. 1884 p. 163, 33 et Meisterh. l. l.). Cum eandem rationem κάω habeat et ἐκάετο II 49, 5 in optimis libris legatur, II 52, 4 καομένου et VIII 39, 3. 102, 3 κατακάουσι etiam contra libros rescribere licet. Incertum est καιομένων CIA I 9. Contra ubique pro Ἀθηνᾶ substituendum esse putamus Ἀθηναία. Quanquam enim Athenis in antiquo monumento privato reperta est forma Ἀθηνᾷ (CIA IV 373 w), quae inde ab a. 362 a. Ch. demum in titulis Atticis increbrescit (cf. Meisterh. § 26, 5), et confirmatum (ibidem in add. ad n. 298) eandem in tabulis curatorum operum publicorum ante Euclidem archontem factis uno loco exstare, tam frequens ceteroqui in titulis antiquioris aetatis est forma Ἀθηναία, pro qua rarius eliso ι Ἀθηνάα (cf. Meisterh. § 9, 1), ut hanc tum sollemnem et communem, illam in vulgari usu subnatam indeque receptam esse appareat. Idem comprobat poëtarum scaenicorum usus, qui ubique aut Ἀθηναία aut Doricam formam Ἀθάνα habent, nisi quod uno loco apud Aristoph. (Pac. 218) in vulgari iurandi formula est νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, ubi tamen Meinek. Ἀθηναίαν correxit. Ex reliqua autem Th. elocutione vulgarem dicendi consuetudinem aspernantis certum est eum vulgari forma non usum esse. De nomine Ἀγραῖοι (Ἀγραῶν vel Ἀγράων omnes codd. II 102, 2, Ἀγραούς nonnulli IV 77, 2) cf. Steph. Byz. IV 119, 2 Εὐπαΐδα (v. l. Εὐπαιίδα) et potiore librorum memoria et similitudine nominis Πολυπαΐδης apud. Theogn. 25. 57. 61. 79. 129 probatur.

Non puto Th. V 25, 1 δεκαετῆ, sed δεκέτη et V 26, 3 δεκέτει dixisse ut πεντετηρίδα III 104, 2, ubi nonnulli codd. πενταετηρίδα habent. Cf. Arist. Ach. 188. Soph. Phil. 715. Eur. El. 1153 et πεντετηρίς CIA II 756. 758. 816. 818, δεκώβολος 837. De accentu cf. Dind. Lex. Soph. s. v. Pro τριακονταέτεις V 14, 4 unus cod. Paris. τριακοντούτεις servavit idque recipiendum est. Cf. I 23, 4. 87, 6. 115, 1. II 2, 1. Arist. Ach. 194. Pariter V 32, 5 πεντηκοντουτίδων legendum est, ut πεντεκοντούτεις V 27, 1 traditum est. Vocalis α aut elisa est aut contractio facta. Cf. Lob. ad Phryn. p. 406 sq. Lehrs Quaest. ep. p. 146.

In titulis Atticis pro ἐάν nusquam ἤν invenitur. Eum tamen magis fuisse publicum scribendi quam unicum loquendi modum poëtarum scaenicorum usus docet, qui promiscue ἐάν et ἤν habent. Item Th. Pro ἐάν ante Macedonicam aetatem in titulis Atticis uno loco est ἄν idque cum μέν in ἀμμέν coalescens (CIA II 11,

6; cf. Meisterh. § 50, 6); poëtae scaenici eo abstinuerunt, nisi quod cum crasi κἄν dixerunt. Apud Th. tribus tantum locis hoc ἄν libris consentientibus exstat, quorum uno (IV 46, 3) nulla littera mutata ὥστ' ἐάν scribere licet, duobus reliquis (VI 13, 1. 18, 6) ε addendum est. Sed praeterea maxime memorabile est quod Th. in pactis a se exscriptis duobus tantum locis ἐάν (IV 118, 4. V 47, 12), ἤν undetricies habet. Hoc tamen ita explicare licet ut Th., cum pacta suo sermoni convenientia redderet, suo more plurimis locis ἤν pro ἐάν substituisse cogitemus, similiter atque Aristophanes in fictis populiscitis Av. 1035. 1050 ἐάν, sed Lys. 1015. 1017 ἤν metri causa dixit. Nam in reliquo quoque opere ille ἐάν pro ἤν formae frequentia rarissime habet, cum illud decies (I 44, 1. III 47, 2. IV 23, 1. 46, 3. VI 13, 1. 18, 6. 96, 1. VII 68, 3. VIII 75, 3 bis), ἤν ducenties fere et quadragies scripserit. Sed accedit aliud etiam magis memorabile. Cum enim pro ἐπειδάν in titulis Atticis nusquam sit ἐπήν neque ipse Th. eo alibi utatur, in foederibus ab eo traditis ter (V 47, 6. VIII 58, 6. 7) ἐπήν, nusquam ἐπειδάν invenimus, idque eo magis notabile videtur esse quod dubium est num Th. aetate in Atticorum sermone omnino ἐπήν fuerit. Nam tragici eo prorsus abstinuerunt, cum in Soph. fragm. 671 (Dind.) pro ἐπάν non minus facile ὅταν vel ἐάν quam ἐπήν rescribatur. Ex tribus autem Aristophanis locis duo in censum omnino non veniunt, cum in Av. 983 in oraculo et disticho ἐπήν positum sit et ibidem 1353 in ficta prisca lege ut obsoletum ludibundae imitationis causa videatur adhiberi; in Lys. 1175 igitur dubitari potest an similem atque in Av. 1353 causam habeat. Licet igitur ἤν omnibus fere locis pro ἐάν ab ipso Th. in pactis suppositum sit, tamen eum ἐπήν pro ἐπειδάν contra suam ipsius dicendi consuetudinem et communem Atticorum usum in ea intulisse prorsus incredibile est. Neque magis librariorum errori aut grammaticorum correcturae ἐπήν tribui potest. Cur enim ἐπειδάν in ἐπήν nusquam nisi in pactis et hic omnibus locis mutaverint prorsus non intellegitur. Res autem sic videtur explicari posse. Pactum inter Athenienses Argivos Mantinenses Eleos factum quod V 47 legitur cum praeter Athenas Argos Mantineam Olympiae collocatum sit (§ 11), hic quidem ex communi Ionica dialecto ἐπήν pro ἐπειδάν potest irrepsisse. Nam priusquam hoc foedus Olympiae proponeretur, id in sermonem Eleum conversum esse, quod contendit Kirchhoffius (Sitzungsber. 1883 p. 848), nobis quidem videtur parum probabile esse, quoniam Olympiae ipso feriarum tempore ut in

communi totius Graeciae sacro et in omnium Graecorum eo convenientium conspectu (cf. V 18, 10), qui facilius Atticam certe quam Eleam dialectum intellegebant, collocatum est. Aliter enim ad reliquarum urbium similitudinem Elide potius illud collocatum esset, in Eleorum capite. Quod si ita est, Olympiaci exempli apographum Th. in opus suum recepit, aut ab ipso confectum aut ab aliis ei missum. Praetera ἐπήν duobus locis invenitur in ultimo eorum pactorum quae Lacedaemonii cum Tissapherne fecerunt. Sed in his patet Atticam dialectum quod facilius communiter intellegeretur usurpatam esse (nam Tissapherni certe Attica dialectus propter vicinitatem urbium Atheniensibus sociarum magis nota erat quam Laconica), eademque de causa pro ἐπειδάν et fortasse etiam pro ἐάν, quae Atticae dialecto nimis propria essent, ex communi Ionica ἐπήν et ἤν in iis ubique assumebantur. Nam iam tum Atticum sermonem Atheniensium imperio maritimo longius propagatum in communem usum abisse et κοινήν illam ex eo oriri coepisse nobis persuasum est. Utcunque est, ἤν et ἐπήν in pactis a Th. exscriptis ad usum epigraphicum mutare non licet.

In σσ pro ττ excepto ἄττα et ρσ pro ρρ positis tantus est librorum consensus ut uno loco (VI 11, 6) in omnibus videatur θαρρεῖν legi itemque uno loco πράττειν (V 45, 3) κρείττων (III 45, 4) ἐξαλλάττειν (V 71, 1) ταράττεσθαι (VIII 71, 1), paucis pro reliquorum numero in parte eorum ττ aut ρρ inveniatur. Nam quod Class. in praef. ad l. VIII p. XXV dicit in Vat. constanter fere ττ scribi, hoc maxime dubium videtur esse, cum ex l. I et II scripturarum discrepantiis ex hoc cod. a Schoenio enotatis contrarium appareat. Th. igitur in hac re, ut tragici, antiquiorem usum secutus est, cum comici communem suae aetatis dicendi consuetudinem sequerentur. Nam in titulis Atticis quinti saeculi exceptis Ionicis quibusdam urbium nominibus et Χερσονήσιοι Χερσονησῖται CIA I 288 (a. Ch. 452) ubique σσ ρσ exstat (cf. Cauer p. 285 sq. Meisterh. § 21, 3. 4). Itaque dialectus Thucydidea postulat ut VI 55, 1 Μυρσίνης pro Μυρρίνης scribatur, quod insuper Aristophanis Βυρσίνη (Equ. 449) confirmat. Cf. Herod. II 484, 22 Βυρσίνης Μυρσίνης. ἦν δὲ αὕτη γυνὴ Ἱππίου τοῦ τυράννου. ἐν τοῖς Ἱππεῦσι. Neque minus pro δέρρεις II 75, 5 δέρσεις scribendum esse putamus. Cf. Δερσαῖοι II 101, 3. In pactis a se exscriptis Th. ττ secundum suam dicendi consuetudinem in σσ mutavit, nisi credis in foederibus Lacedaemoniorum cum Tissapherne iam ex communi Ionum et Doriensium usu σσ substitutum fuisse.

Th. ξύν dixisse testis est Marc. 52, in eoque codd. ita consentiunt ut sex tantum locis (σύνδεσμοι II 102, 4, συλλεγεῖσαι IV 25, 3, συνεχῶς IV 43, 5, συστασιάσων IV 86, 4, συστραφέντες V 10, 9, συνόδων V 17, 2) omnes alteram formam praebeant. In titulis Atticis usque ad a. 410 a. Ch. praevalet ξύν (Meisterh. § 49, 11), poëtae scaenici utraque forma utuntur.

Phrynichi p. 14 praeceptum μέχρι δὲ καὶ ἄχρι λέγε et Th. libri confirmant, in quibus rarissime μέχρις est, et tituli Attici (cf. Meisterh. § 49, 3).

In μόλις, quod veteres Atticos praetulisse satis certum est (cf. Dind. lex. Aeschyl. s. v. μόγις), ita consentiunt Th. libri ut in dimidia fere locorum parte μόλις in omnibus codd., nusquam in omnibus μόγις esse videatur.

Quod Meinek. ad Steph. Byz. s. v. Ἀρκόνησος docet in Πελοπόννησος Προκόννησος et si quae alia cum nominibus tertiae declinationis composita sint duplex ν esse, simplex, si cum nomine secundae declinationis, id plane confirmant inscriptiones (cf. ind. CIA I s. v. Πελοποννήσιοι Προκοννήσιοι Χερρονήσιοι Χερρονησῖται). Apud Th. in Cass. et deterioribus libris saepius Πελοπονήσιοι Πελοπόνησος et III 32, 1 in plerisque Μυονήσῳ.

Nonnulla vitia orta sunt ex litterarum geminatione falso aut illata aut omissa. Sic I 15, 1 προσχόντες pro προσσχόντες in omnibus codd. praeter It. et Pal., qui προσέχοντες habent, itemque III 32, 1 in paucis προσχών pro προσσχών; V 71, 1 in omnibus fere (Clar. Ven. περιστέλλειν, Pal. πρὸσ πέλλειν factum ex προσστέλλειν) προστέλλειν pro προσστέλλειν, quod idem legendum apud Cass. Dion. XL 23, 3, qui hunc locum imitatus est; III 57, 1 in omnibus προσκέψασθε pro προσσκέψασθε, cum praeterea, non antea considerare iubeantur. Pariter Mosqu. III 95, 1 falso Παρνασόν (cf. Herod. I 209, 20) et VIII 42, 4. 108, 2 in aliquot codd. Ἁλικαρνασόν Ἁλικαρνασέας (cf. ind. CIA I et Herod. I 209, 30). Eiusdem erroris sunt quae in aliquot codd. leguntur Οἰνουσῶν et Σιδούσης VIII 24, 2, Μαράθουσαν VIII 31, 3, Τειχιοῦσαν Τειχιούσης VIII 26, 3. 28, 1, Δρύμουσαν VIII 31, 3 et τ simul in γ mutato Τεύγλουσαν vel Τέγλουσαν (reliqui Τευγλούσσαν) pro Τευτλοῦσσαν. Nam haec proprie feminina sunt adiectivorum in όεις derivata ab οἶνος, σίδη, μάραθον, τειχίον, δρυμός, τεῦτλον. Rem confirmant inscriptiones, in quibus est Τειχιοῦσσα, sed pro ἐθνικῷ constanter Σιδούσιοι (cf. ind. CIA I). Ex quibus simul accentus horum vocabulorum cognoscitur. Iam Herodiani tempore, qui I 269, 36 Τεύτλουσα, contra I 170, 14 Δρυμοῦσσα ex Th. affert,

librorum memoria variabat. Eiusdem rationis est VIII 101, 2 *Ἀργινούσσαις* (codd. *Ἀργενούσσαις Ἀργεννούσαις Ἀργινούσαις*) derivatum ab *ἀργινόεις* (neque enim exstat *ἀργεννόεις*, sed *ἀργεννός*). Locrorum gentis III 101, 2 idem nomen esse *Μεσσαπίους* (duo deteriores *Μεσαπίους*) atque *Μεσσαπίου ἔθνους* Italici VII 33, 4 (pauci deteriores *Μεσαπίου*) codd. evincit auctoritas; nam aliena est *Μέταπα πόλις Ἀκαρνανίας* apud Steph. Byz. *Σόλλιον*, non *Σόλιον* scribendum esse testatur Steph. Byz. Solum *Θράσυλλος* (*Θράσυλος* nominatur in parte librorum) agnoscit Herod. I 159, 2. II 205, 12. 859, 24. 907, 19 pariterque inscriptiones. *Περαιβίαν* codd. IV 78, 5; sed *ρρ* habent CIA II 184. Aesch. Suppl. 253. *Πλημύριον* ubique in parte librorum; sed cf. *πλημμυρίς πλημμῦρον* apud Hesych., ubi ordo verborum duplex *μ* confirmat; praeterea pariter atque *πλημμελής* cum *πλήν* videtur compositum esse. De *Πάμμιλον* VI 4, 3 (v. l. *Πάμιλλον Πάμμιλλον*) cf. Herod. I 162, 20. Verum est *Κραννώνιοι*, quod II 22, 3 in uno Lugd. est (reliqui *Κρανώνιοι*); nam quanquam CS 361 *Κρανουννίοις* legitur, tamen *Κραννούνιοι* CS 345, 49 (cf. *Γυρτούνιοι* ibid. 345, 79) et quod in nummo est *Κραννουνίουν* ibid. 364 ostendunt ibi lapicidae errore unum *ν* transpositum esse. Gravius corruptum est nomen *Προναῖοι* sive *Προνναῖοι* II 30, 2, pro quo secundum CIA II 17 B 12 *Πρῶννοι* rescribendum est (AI ex altero *N* factum est, ut saepius *ΔI* ex *N*; cf. script. discr. I 25, 2. VII 5, 1); nam titulo magis confidimus quam Lycophr., apud quem in v. 791 *Πρωνίων* est, quam eandem nominis formam eius schol. Th. tribuit.

In aliis nominibus propriis in parte codd. litterae falso geminatae sunt. Verae enim sunt formae *Λάρισα Λαρισαῖοι* (CS 345, 20. 26. Herod. II 449, 20. 455, 14), *Ἄρνισα* (Herod. II 449, 20), *Ἔρεσος Ἐρέσιοι* (CIA II 17 B 21. add. 52 c 29). Siciliae caput *Συρακούσσας* vocare antiquissimos codd., quanquam sibi non constent, Bekker ad III 86 tradit eamque nominis formam etiam Herod. II 2, 6 agnoscit; sed iam in marmore Pario *Συρακούσαις Συρακουσῶν* (CI 2374, 52. 71. 77). Urbs denominata est per terminationem *σα* (cf. *Πῖ-σα*) a palude *Συρακώ*, et quanquam *ου* vocalis unde orta sit non satis novimus, eius ratio tamen eadem esse videtur atque in accus. *Συρακοῦν*, ubi item in obscuro est (cf. Mey. Gr. Gr. § 323. 331); *ἐθνικόν*, in quo codd. variant, non *Συρακούσιος* est, quod Steph. Byz. affert et *Συρακοῦσσαι*, si verum esset, postularet (cf. *Σιδοῦσσα Σιδούσιος*, *Ἁλιμοῦς Ἁλιμούσιος* quaeque sunt similia), sed *Συρακόσιος* (CIA II 25, 36. IA 95). De *Σκελίου* nomine VIII 89, 2 (*Σικέλ* Vat., *Σικελλίου Σικελίου Σκελ-*

λίου reliqui) cf. CIA I 422 et Arist. Av. v. 126 ibi a Kirchh. emendatum, de φακέλους II 77, 3 (longe plurimi φακέλλους) Eur. Cycl. 242. Marcell. 52. An II 80, 6 Θαρρύπου pro Θαρύπου legendum sit dubitari potest propter Θαρρύπου Plut. Pyrrh. 1 (cf. Θαρρύμαχος, Θαρρυπτόλεμος in ind. IA); sed Θαρύπου Paus. bis I 11, 1 (cf. Θαρυκίδας DS 181, Θάροπος CS 488 A).

Pro τ falso δ libri mss. habent in πελιτνόν II 49, 5; nam ita Th. scripsisse testatur Ael. Dionysius apud Eustath. p. 735, 57 et Phot. s. v.

Praeterea breviter dicendum est de aliquot nominum propriorum scriptura. II 17, 1 veram esse scripturam Laur. Πελαργικόν (reliqui utrobique Πελασγικόν) praeter παρονομασίαν in oraculo τὸ Πελαργικὸν ἀργὸν ἄμεινον consulto quaesitam ostendit DS 13, 55 sqq., quocum cf. Arist. Av. 832 et Hesych. s. v. Λευκίμμη (v. l. Λευκίμνη) et potior codd. auctoritas et Strab. p. 324, Σκόμβρου ὄρους nomen II 96, 3 sq. (v. l. Σκομίου) Aristot. Meteorol. I 13 p. 350 b tuetur. III 100, 2 unus Vat. recte Μενεδάιος (cf. μενεδήιος), reliqui Μενέδατος. IV 56, 1 Ἀφροδιτίαν (codd. Ἀφροδισίαν) Th. scripsisse Herod. I 287, 29 testatur. Terram in confiniis Argolidis et Laconicae sitam Κυνουρίαν appellatam esse (in parte codd. Κυνοσουρία vocatur) ex Herodot. VIII 73. Strab. p. 376. Paus. III 2, 2 sq. Steph. Byz. intellegitur; alienum est Κυνοσουρίδας in Callim. Hymn. III 94, quod referendum est ad Κυνόσουρα tribus Laconicae nomen. IV 75, 2 omnes codd. Χαλκηδόνα habent praeter D., in quo Καλκεδόνα. Sed nomen urbis in omnibus nummis Καλχηδών (cf. Eckh. Doctr. num. II p. 411) et incolae in CIA I Καλχηδόνιοι aut Χαλχηδόνιοι nominantur. Nam quod Kirchh. n. 228. 235 Χαλκηδόνιοι legit, κ littera utroque loco in supplemento est. Usitatius tamen Atticis Καλχηδών quam Χαλχηδών fuisse ex Arist. Equ. 174 colligitur, ubi poëta similitudine nominum Καρχηδόνα et Καλχηδόνα ludit, qua de re cf. Mueller-Strueb. Aristoph. p. 9 sqq. Ibidem Bithyniae fluvium codd. Κάληκα vocant, nisi quod Κάλικα D., Κάλυκα Ar. Chr.; sed Κάλητα eum nominant Arrian. Peripl. 13, 3. Eustath. ad Dion. Perieg. v. 793, Κάλλητα Memnon in Photii Bibl. p. 228 b 26. Noli autem putare pariter Στῶλος pro Σκῶλος V 18, 5 scribendum esse, quod in tributorum tabulis incolae ubique Στώλιοι (cf. ind. CIA I) vocentur. Nam illam nominis formam non solum tuetur Strab. p. 408 fragm. 23, cui sua debet Eustath. p. 265, 25, sed etiam in ipsis inscriptionibus Atticis eandem varietatem Μιλτώριοι Μιλκώριοι (cf. ind. CIA I) ostendunt. IV 103, 1 Βορμίσκον (codd. Βρομίσκον aut

Βρωμίσκον) auctoribus Herod. I 153, 20 et Steph. Byz. scribendum est. De Cynuriae oppido quod V 41, 4 in aliis codd. *Ἀνθήνην*, in aliis *Ἀθήνην* esse traditur, cum illud Paus. II 38, 6 et Suid. s. v. *Ἀθήνησιν*, hoc Harpocr. et Plin. H. N. IV 5, 16 habeant, utrum Th. scripserit discerni nequit, praesertim cum Herod. I 330, 23. 331, 20 utramque formam agnoscere videatur. V 42, 1 optimi codd. *Ἀνδρομέδης*, reliqui *Ἀνδρομένης*. Prius nomen non exstat. Quod enim muliebre Andromedae nomen afferunt, huic masculinum *Ἀνδρομέδων* responderet (cf. *Εὐρυμέδη Εὐρυμέδων*), et praeter *-μέδων* masculina in *-μήδης* exeunt. VI 4, 1 libri inter *Τρώτιλον* et *Πρώτιλον* variant; illud confirmat Polyaen. V 5, 2, cuius libri *Τρώιλον* habent. VIII 6, 5 ex codd. auctoritate falso scribi *Μελαγκρίδαν Μελαγκρίδου* pro *Μελαγχρίδαν Μελαγχρίδου* (Valla: cum Melancrida . . . pro Melanchrida) animadvertit Meinek. in Herm. III p. 361. De nomine *Στρομβιχίδης* (v. l. *Στρομμιχίδης*) cf. *Στρόμβιχος* CIA I 236. 310. Th. VIII 24, 3 *Βολίσκῳ* (sic solus pr. Vat., reliqui *Βολίσσῳ*) scripsisse testatur Herod. I 212, 22. II 483, 1. De nomine *Σκιρωνίδης* (sine *Σ* Vat. VIII 25, 1. 54, 3) cf. Pseudo-Dem. LVIII 17. *Λαισπονδίαν* optimi libri VIII 86, 9, sed *Λαισποδίου* omnes VI 105, 2, quocum cf. Arist. Av. 1569. Antiph. fragm. VIII (ed. Blass.). Pro *Εὐάλας* VIII 22, 1 pr. Vat. *Εὐάδας*; sed *-λας* = *-λαος* et *εὐά* = *εὐη* in *εὐηγενής* Hom. Il. XI 427.

Pro *ἕνεκα* optimae membranae I 68, 2 *ἕνεκεν* et VI 56, 3 *οὕνεκα*, solus Vat. VIII 69, 1 *εἵνεκα*. Vere videtur dicere Thom. Mag. p. 151, 5 *Θουκυδίδης ἀεὶ ἕνεκα*, quanquam eius auctoritas per se non multum valet, cum libro usus sit nostrorum optimis neque antiquiore neque meliore. Nam in titulis Atticis ante Macedonicam aetatem *ἕνεκεν* non invenitur et *οὕνεκα* pro *ὅτι* est (cf. Meisterh. § 49, 8); *εἵνεκα* autem uno loco unius cod. auctoritate non satis videtur defendi.

Iam ad vocabulorum declinationes transeamus. *Ἐφύρη* I 46, 4 cum iam Herod. I 340, 14 legerit in *Ἐφύρα* mutare dubitamus, praesertim cum Th. nomen ex Hom. Od. I 259. II 328, ubi eadem urbs significari videretur, retinere potuerit. Nec minus *Φύσκαν* II 99, 5 tuemur, quanquam a Ptolem. III 13, 36 *Φύσκαι* hoc Macedoniae oppidum vocatur (*Φύσκος* Steph. Byz. fortasse per errorem). Cf. *Κεγχρειά Κεγχρειαί*. Contra *Πολίχνην* VIII 14, 3. 23, 6, quod solus Reg. servavit (reliqui *Πολίχναν*), Th. reddendum esse putamus, cum nomen appellativum Atticis sit *πολίχνη* et proprium Ionici oppidi nomen (*Πολίχνα* secundum Herod. I 327, 4

Aeolicum vocabatur, quod in Troade situm erat) item in CIA I (cf. ind.) in η exeat. Praeter βορέαν servandum esse βορρᾶν VI 2, 5 βορρᾶθεν CIA II 600. 777. 781 demonstrant. Cf. Βορραίαις πύλαις Aesch. Sept. 527 (coniectura parum certa βορρᾶς pro βορέας scribitur in Eur. Cycl. 329). Cum codd. varient δίψης δίψῃ et δίψους δίψει, illas formas ut antiquiores (cf. Aesch. Pers. 484. 491. Arist. Equ. 534) praeferendas esse putamus. In genetivis nominum propriorum Doricorum in ας exeuntium Th. nonnunquam terminationem Doricam α habet, sed minime in omnibus, velut nunquam in Παυσανίας, Βρασίδας (Βρασίδα in deterioribus tantum libris bis terve), Λεωνίδας, aut omnibus locis (Κλεαρίδα Κλεαρίδου V 10, 1. 12). Similis discrepantia inter Ξενοκλείδης et Ξενοκλείδαν I 46, 2. III 114, 4. Eiusdem genetivi terminatio Ionica εω in Τήρεω et Πύθεω II 29, 1. 95, 1, quocum cf. ex tertia declinatione Ἀφύτιος I 64, 2, Γοάξιος IV 107, 3, Κνίδιος V 51, 2. Quam Athenienses etiam posteriore tempore in talibus sibi non constiterint documento est CIA II 966, 26. 47, ubi Λεωνίδου et Μνασιάδα (contra Μνασιάδου ibid. 967, 46) est. Talia igitur ad eandem normam redigere non licet et sequenda est optimorum librorum auctoritas. Ut igitur Th. nomina Dorica Attice terminavit, ita ne contrarium quidem negandum esse videtur eum in Ἰθωμῆτα I 103, 1 facere potuisse, praesertim cum prorsus eadem ratio sit nominum Ἡγησιππίδας V 52, 1 et Κυδωνιήτας CIA I 403, quod posterius lapicidae errori tribuendum esse Kirchhoffio non credimus, cum in antiquis titulis Atticis terminatio ιήτης etiam in nominibus non Ionicis, velut Κεδριῆται (cf. ind. CIA I), inveniatur.

V 66, 3 ἐνωμοτάρχοις pro ἐνωμοτάρχαις scribendum est, cum munerum militarium nomina omnia in -αρχος exeant (cf. Meisterh. § 27, 9). Sed fallitur Herwerdenus cum eodem modo pro βοιωτάρχαις et βοιωτάρχαι V 37. 38 βοιωτάρχοις et βοιώταρχοι corrigere vult. Cf. μεράρχαι CIA II 580, ἱαράρχη = ἱεράρχαι CS I 497. 498. 499, boeotarchae Liv. XLII 43, 7, boeotarchen XXXIII 27, 8, βοιωτάρχην CI 1738. Pro Ὀπικούς VI 2, 4 boni codd. Ὄπικας vel Ὄπηκας habent. Sed quanquam similis est declinationis variatio in Ἠδῶνες Ἠδωνοί, tamen ab Aristot. Strab. Dionys. Hal. Paus. Steph. Byz. tam constanter Ὀπικοί nominantur ut eandem nominis formam Th. tribuere cogamur. Vocabuli υἱός formae ἑτερόκλιτοι derivantur ab υἱύς (cf. IA 54. 105. 475. CIA I 398). Quare retinendus accus. υἱεῖς IV 30, 2 (τοὺς υἱεῖς CIA II add. 1 b). Neque sollicitandus genet. υἱοῦ V 16, 2, quanquam reliquis locis (I 13, 6. 20, 2. 137, 1. II 100, 3. III 26, 2) Th. υἱέος habet;

nam idem invenitur in titulo votivo ineuntis quarti saeculi (Ἀθήναιον V p. 161) a Foucarto (Rev. de phil. I p. 35) allato.

Nomina propria in ιεύς desinentia cum in titulis ante Euclidem archontem factis ubique in genetivis et accusativis contractas formas habeant (cf. Dittenb. in Herm. XVI p. 185), easdem Th., cuius libri variant, reddendas esse putamus, praesertim cum idem sit poëtarum scaenicorum usus (cf. Aesch. Pers. 486. 817. Soph. Phil. 4. Arist. Equ. 815. Av. 1040. Lys. 1169. Ran. 694). Ubi autem terminationem εύς alia atque ι vocalis praecedit, optimorum sequenda est librorum auctoritas. Accusativi nominum propriorum tertiae declinationis in ης in titulis ante Euclidem factis, si ⟨Τισ⟩σαφρένην CIA 64 b 14, quod nomen peregrinum est, excipimus, constanter in η exeunt (cf. Meisterh. § 32, 6) et ἑτεροκλίτως in ην formatorum praeter titulum memoratum ante Ol. 100 exempla non inveniuntur; apud antiquos autem poëtas scaenicos, Aeschylum dico, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, formae in η salvo metro ubique restitui et possunt et debent. Cf. Weckl. Cur. epigr. p. 24. Hae igitur item Th., cuius libri multis locis variant, sunt reddendae. Nominativos nominum propriorum in -κλῆς, quorum in titulis aetatis Thucydideae solutae et contractae formae exstant, sed ita ut illae multo sint rariores (cf. Dittenb. in Herm. XVII p. 35), in sermone vulgari potissimum solutos fuisse docet Weckl. l. l.; nam Aristophanem, qui habeat ubique Μεγακλέης, Περικλέης, Σοφοκλέης, Ἱεροκλέης, Ξενοκλέης, Φιλοκλέης, contra Ἡρακλῆς (Ran. 282. 464. 581. Lys. 928. Vesp. 60. Ach. 860) et Θεμιστοκλῆς (Equ. 884) sermonem vulgarem secutum esse nec formam contractam nisi metri causa adhibuisse videri. Quod ad tragicos attinet, solutam formam Ἐτεοκλέης habet Aesch. Sept. 6, contra Ἐτεοκλῆς Soph. OC. 1295 et ubique Ἡρακλῆς, Ἐτεοκλῆς Eur. Phoen. 433. 1407. 1438, sed Ἐτεοκλέης 1372. 1390. 1587, Ἡρακλῆς Herc. 12. 581. 1250. 1414, sed Ἡρακλέης Heracl. 210. Herc. 925, unde apparere videtur hos vicissim soluta forma nisi metri causa non usos esse. Utut se habet, non est cur Thucydidis libris diffidamus, qui contractam formam exhibent. Substantivi ἄστυ genetivum esse ἄστεως, non ἄστεος et inscriptionum exempla (Meisterh. § 30, 1) et poëtarum scaenicorum usus ostendit. Cf. Dind. lex. Soph. s. v. et Usener in Annal. phil. a. 1873 p. 159. Dativum ἥρως vocabuli esse ἥρῳ et Moeris indicat (ἥρω χωρὶς τοῦ ι Ἀττικοί) et Arist. Av. 1490. Plat. com. fragm. 174, 18 (ed. Kock.) confirmant; accus. plur. esse ἥρως Phryn. p. 158 dicit idque habet Aesch. Ag. 516. Apud Th. igitur emendanda sunt ἥρωας IV

87, 2 et ἥρωϊ V 11, 1. De accus. Ἀπόλλω, pro quo Herwerdenus II 102, 5 Ἀπόλλωνα mavult, cf. Arist. Av. 586. Aesch. Suppl. 214. CIA I 9, 15. II add. 49 b 24; de Πνύκα, quod solus Vat. VIII 97, 1 pro Πύκνα habet, Weckl. l. l. p. 25 sq. Meisterh. § 34, 7. Solutam formam Σολόεντα VI 2, 6, cum nomen sit peregrinum, non minus tolerandam esse putamus quam Μαλόεντος Μαλόεντα III 3, 3. 6.

Rectissime Herwerdenus: 'ἐπηλύτην (I 9, 2) non magis ferendum puto quam si quis Graece scribens usurparet νεηλύτης aut συνηλύτης pro νέηλυς, σύνηλυς'. Poëtae certe illam formam non habent, sed ἔπηλυς. Neque tamen ἐπήλυδα rescribendum est, sed ἔπηλυν, quod idem Dionysio Hal. Ant. III 72 pro ἐπήλυτον, quod pariter novicium est (cf. Valcken. ad Ammon. p. 32), Kiesslingius reddidit. Ex Photii testimonio εὐπραξίαν οἱ παλαιοὶ κωμικοὶ διὰ τοῦ ξ, Θ. δὲ διὰ τοῦ γ pro certo concludi non posse puto ubique Th. dixisse εὐπραγίαν et alteram formam ei prorsus abiudicandam esse, praesertim cum ne illud quidem satis accurate dictum sit εὐπραξίαν comicorum esse (cf. Aesch. Sept. 224. Soph. OC. 1554. Eur. Troad. 640).

Falso VI 64, 2 εὐνόων plurimi codd. Cf. ἔσπλων VII 41, 2. Atticos non aliter dixisse quam παλαίτερος παλαίτατος, σχολαίτερος σχολαίτατος ex poëtarum usu non satis liquido constat. Nam tragicorum versui longiores formae male aptae erant, comicorum metro longiores et breviores iisdem sedibus pariter conveniebant, ita ut apud hos metri necessitas unde verae formae cognosci possint nulla sit. Non igitur emendandus est Alexidis versus οἶνον δὲ τὸν παλαιότατον σπουδάζομεν (fragm. 278 apud Kock.) nec parvi faciendum Photii testimonium, quod ad Aelium Dionysium iure referre Herwerdenus videtur: παλαιότερον καὶ ἄνευ τοῦ ο λέγουσιν.

Fuerunt qui contenderent Atticis solas contractas comparativorum in ων formas in usu fuisse. Sed non solum poëtae scaenici utrisque formis utuntur (cf. Aesch. Prom. 922. 1035. Pers. 440. 813. Suppl. 203. Ag. 760. Choëph. 905. Soph. Ai. 456. OR. 1374. Ant. 313. 680. Eur. Cycl. 10. Alc. 433. Suppl. 196. Troad. 1059. El. 405. Arist. Ach. 1078. Equ. 811. 861. Nub. 113. 114. 432. Vesp. 806. Plut. 559), sed etiam in inscriptionibus solutae formae inveniuntur, idque non solum μείζονα in hexametro CIA II 555 et πλείονα πλείονας in titulo Sullanae aetatis (CIA II 628, 11. 32), sed etiam in antiquo populiscito (418 a. Ch.) EA 1884 p. 163, 1 ὀλείζονα πλέονα. Etiam in foedere a Th. V 47 exscripto § 6 fuisse πλείονα litterarum numero ad complendas eius reliquias (CIA IV 46 b) necessario efficitur.

De formis comparativi πλείων haec Guil. Dindorfius in Steph. Thes. adnotavit: 'Attici etsi saepissime πλέον pro πλεῖον dixerunt nec raro vocalem simplicem in casibus admiserunt trisyllabis πλέονος πλέονι, in nominativo tamen πλείων et formis contractis πλείω et πλείους diphthongum praetulerunt; quod recte observanti Reisigio in Coni. in Arist. p. 43 non debebat repugnare Elmsleius ad Eur. Med. 88. Nam quod tragici interdum πλέων πλέω πλέους dixisse vulgo creduntur partim criticorum nititur erroribus, velut Stanleii, qui πλέων male intulit versui corrupto Aesch. Ag. 1299, partim vitiosa scriptura librorum, ut ibidem 868. 1068, ubi πλέω errore sollemni, de quo paullo post dicetur, pro πλέον scriptum. Non maioris est momenti Soph. Trach. 944 ἢ καὶ πλείους τις ἡμέρας λογίζεται, ubi quidam interpolati πλέους. Sed vera quam ego restitui scriptura est ἢ καί τι πλείους ἡμέρας λογίζεται'. Haec sufficiunt ad reiciendas formas πλέων πλέω πλέους, quae ne in inscriptionibus quidem inveniuntur. At dubitatum quoque est num πλεῖον Attici dixissent. Sed ne Aristophani quidem abiudicandum est. Nam in Nub. quidem 1295 nulla metri necessitate legitur, sed metro defenditur in Eccl. 1132 ὅστις πολιτῶν πλεῖον ἢ τρισμυρίων, quem versum ne ideo corruptum esse opineris quod secundum Moer. πλεῖν ἢ μύριοι Ἀττικοί, πλέονες ἢ μύριοι Ἕλληνες et Cobeti praeceptum Atticorum consuetudine πλεῖν ἢ postuletur, cf. πλέον ἢ CIA II 352, 12, quo simul efficitur ne apud Th. quidem III 113, 3 πλέον ἢ in πλεῖν ἢ mutandum esse. Metro item illud flagitatur in Philem. fragm. 106, 5 Kock. Menand. fragm. 519, 6. 531, 5. 563, 3 Mein. Apud tragicos πλεῖον saepius traditum est et quattuor inveniuntur quantum scio loci (non numero πλεῖον quod in cantico legitur Aesch. Pers. 1032) ubi metrum ei praesidio sit: Aesch. Pers. 791 μηδ' εἰ στράτευμα πλεῖον ᾖ τὸ Μηδικόν, Eur. Hipp. 641 εἴη φρονοῦσα πλεῖον ἢ γυναῖκα χρή, Troad. 644 λαχοῦσα πλεῖον τῆς τύχης ἡμάρτανον, Phoen. 603 *ΠΟ.* τοῦ μέρους ἔχων τὸ πλεῖον; *ΕΤ.* φήμ'. ἀπαλλάσσου δὲ γῆς, quorum versuum tres priores coniecturis temptare Dindorfius non debebat. Cum enim in versu Aeschyleo praeter πλεῖον nihil sit in quo offendas, ille μηδ' εἰ στράτευμ' εἴη πλέον τὸ Μηδικόν, versum doctis auribus minime gratum, vel etiam violentius πληθύοι pro πλεῖον ᾖ proposuit. In primo Euripidis versu πλείον' vel μεῖζον ex similitudine versus Heracl. 979 καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή legere voluit. Sed longe aliud est πλέον φρονεῖν, prudentiorem esse, quam μεῖζον φρονεῖν, insolentius se efferre. Cf. Soph. Phil. 818. Plat. Hipp. min. 371 a et Plat. Theaet. 149 d. Priore sententia nusquam

dicitur πλείω φρονεῖν. Apparet autem quam apte altero loco μεῖζον φρονεῖν dictum sit, altero πλέον φρονεῖν ex versibus qui praecesserunt: Heracl. 978 πρὸς ταῦτα τὴν θρασεῖαν ὅστις ἂν θέλῃ — καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρὴ — λέξει, Hipp. 640 σοφὴν δὲ μισῶ· μὴ γὰρ ἐν δόμοις — εἴη φρονοῦσα πλεῖον ἢ γυναῖκα χρή. In quarto loco ipse Dindorfius πλεῖον intactum reliquit. Cum igitur negari nequeat hanc formam tragicis in usu fuisse, frustra tertio loco πλεῖστον pro ea substituit. Quod ad inscriptiones attinet, in duobus titulis CIA II 594, 16. 476, 65 πλεῖον inventum est, iisque alterius et primi a. Ch. saeculi; ex eo tamen quod in tribus antiquioribus πλέον est (CIA II 167, 55. 352, 12. 573, 17) concludi nequit antea πλεῖον in inscriptionibus non usurpatum esse; nam pauciora haec utriusque formae sunt exempla. Attamen discrimen aliquod inter tragicorum et comicorum usum videtur intercedere. Apud Aristophanem enim in omnibus formis praeter πλέον diphthongus comparet; tragici ε in duabus trisyllabis πλέονος (Soph. OC. 1211. Phil. 1100; contra πλείονος Eur. fragm. 288, 12 Dind.) et πλέονι (Eur. Phoen. 539) admittunt, in reliquis, πλείονες (Eur. Alc. 720) πλείονα (Soph. Phil. 576. OC. 36. Eur. Suppl. 451. Iph. T. 1234) πλείονας (Soph. Ant. 313) πλειόνων (Soph. OR. 247. Eur. Suppl. 239) πλείοσι (Soph. El. 1353. 1371. Eur. Iph. T. 279), sola ει vocali utuntur. Sed licet ε in his formis tragici evitaverint, tamen apud Atticos eas in usu fuisse negari nequit. Nam earum exempla in titulis exstant eaque antiquiora quam cum ει diphthongo. Cf. πλέονα EA l. l. (a. Ch. 418), πλεόνων CIA II 167, 48 et πλέοσιν ibid. 578, 17 (posterioris partis quarti saeculi); contra πλειόνων CIA II 625, 9. 11. 13 (alterius a. Ch. saeculi), πλείοσιν πλείονα πλείονας ibid. II 467, 88. 628, 11. 32 (primi a. Ch. saeculi). Neque tamen inde temporis discrimen in harum formarum usu epigraphico statuere licet. Nam quarti saeculi videtur esse πλείονος CIA II 564, 11. 1113 (eiusdem fere temporis πλέονος ibid. 811 c 113), et πλείονα iam in foedere a Th. V 47 exscripto fuisse supra monuimus. Quae cum ita sint, hoc iam constare videtur, apud Atticos in bisyllabis formis cum longa ultima ει fuisse, reliquis ε et ει promiscue adhibita esse. Apud Th. autem πλέους et πλέων formarum exempla non exstant; pro πλέω II 120, 5 Laur. πλείω praebet; praeterea πλέω quattuor locis (I 81, 5. 104, 1. II 89, 5. IV 19, 2) legitur, qui emendandi sunt, πλείω contra frequentissimum est. Reliqua cum norma modo proposita conveniunt.

Nulla causa Herwerdenus ἐπιθαλασσίδιοι (IV 76, 3) et παρα-

θαλασσίδιον (VI 62, 3) formis ἐπιθαλάσσιοι et παραθαλάσσιον substituere vult. Nam eadem varietas in Plat. Legg. 704 b et d.

Forma dualis δυεῖν, quam aliquot locis libri deteriores habent, in titulis Atticis ab altera demum saeculi quarti parte invenitur (cf. Meisterh. § 38, 1). Vera forma δυοῖν usque ad idem tempus ubique cum duali invenitur, contra δύο interdum etiam cum plurali. Cf. Weckl. Cur. epigr. p. 16. Riemann. Revue de phil. IX p. 92 sq. Quare VIII 79, 1 ναυσὶ δύο (sic Cl. Ven., reliqui δυοῖν) καὶ ὀγδοήκοντα scribendum est. In Atticis titulis tredecim ubique est τρεῖς καὶ δέκα, non τρισκαίδεκα (Meisterh. § 38, 7). Itaque III 69, 1. VIII 88 τρεῖς καὶ δέκα (v. l. τρισκαίδεκα) et III 79, 2 τρεῖς δὲ καὶ δέκα (τρεῖς καὶ δέκα Vat. H., reliquorum longe plurimi τρισκαίδεκα δὲ) praeferendum (cf. VI 74, 2) et VIII 22, 1 τρισὶ καὶ δέκα (δέκα καὶ τρισὶ E., reliqui τρισκαίδεκα) rescribendum est.

Iam ad verborum formas transeamus ac primum quidem dicamus de augmento. Raro omissum est in plusquamperfectis augmentum syllabicum. III 23, 1 Pal. ἀνεβεβήκεσαν habet, IV 24, 2 ἐσεβεβλήκεσαν boni libri, IV 34, 3 ἐναπεκέκλαστο D. idemque V 10, 8 προυκεχωρήκει, IV 69, 3 ἀπετετέλεστο optimi, VII 33, 6 ὑπελέλειπτο plerique et VII 44, 3 boni libri ἀνεβεβήκει, VIII 66, 2 omnes praeter Vat. ἐτεθνήκει et VIII 92, 3 Mosqu. κατεδεδραμήκεσαν; VII 71, 7 autem τ' ἐπεπόνθεσαν legendum esse patet. Reliqua fere sunt IV 90, 2 καταπεπτώκει, V 14, 3 γεγένητο, V 35, 3 ἀποδεδώκεσαν, VII 4, 2 ἀναβεβήκεσαν (pars codd. ἀναβεβήκασιν), VIII 15, 1 ἀνακεχωρήκεσαν. Apparet in tanto librorum consensu augmentum ubique restituendum esse, idemque titulis antiquioribus plane confirmatur (cf. Meisterh. § 40, 1). Etiam in εἱστήκειν libri Thucydidei ita consentiunt ut duobus tantum locis (IV 33, 1 καθεστήκεσαν, VII 29, 5 καθεστήκει) in omnibus augmento careat. Hoc igitur ubique restituendum est. Cf. Herod. II 269, 12. Schanzii Proll. ad Plat. VII p. XIII. Nusquam tamen invenitur in formis syncopatis. Verbi ἔρχεσθαι plusquamperfectum constanter in libris augmento caret, idem in eodem verbi ὀλλύναι tempore boni libri ubique (ἀπωλώλει IV 133, 1. VII 27, 5, ἀπωλωλέκεσαν VIII 96, 3) servarunt. Hoc convenit ad praeceptum Herod. II 268, 20. II 21, 2 ἑοράκεσαν pro ἑωράκεσαν legendum esse ostendunt versus Arist. Nub. 767. Av. 1573. Thesm. 33. 35. Plut. 98. 1045 multique in fragm. comicorum. Contra ἑώρας Arist. Plut. 713. Cf. ἑάλωκα (Aesch. Ag. 30) et ἑάλων (Arist. Vesp. 355). Verba ab εὐ incipientia ηὐ augmentum habuisse antiquiores tituli inde ab Euclide archonte facti ostendunt (cf.

Meisterh. § 40, 5). In libris Thucydideis relicta sunt I 58, 1 ηὔροντο (Vat. et alii), II 18, 3 ηὐτρεπίζοντο (omnes fere codd.), IV 79, 2 ηὐτύχει (Mosqu. et duo Paris.), V 42, 1 ηὗρον (Vat. Aug. Pal. M. Cass.), VIII 24, 4 ηὐδαιμόνησαν (Vat). Ubique restituendum est. Simile est ᾔκαζον, quod II 54, 5 solus Laur., VI 92, 5 Vat. Aug. Pal. cum tribus deterioribus habent (reliqui εἴκαζον), de quo cf. Herod. II 326, 5. 486, 12. Moer. ᾔκασα Ἀττικοί, εἴκασα Ἕλληνες. Neque minus in titulis Atticis verbum ἀναλίσκειν ubique augmentum habet (cf. Meisterh. § 40, 6). Apud Th. verae formae servatae sunt hae: II 13, 3 ἀπανηλώθη (omnes codd.), III 81, 3 ἀνηλοῦτο (omnes codd. praeter ἀνηροῦντο in Mosqu.), VII 48, 5 ἀνηλωκέναι (ex deterioribus aliquot, ut videtur, vulg.). Insignem constantiam codd. in augmento verborum δύνασθαι, βούλεσθαι, μέλλειν ostendunt. Nam η augmenti in verbo μέλλειν nullum, quantum scio, exemplum a Bekkero ex librorum auctoritate relictum est, verbi βούλομαι unum ἠβούλοντο VI 79, 3, ubi tamen Ven. ἐβούλοντο servavit, in δύνασθαι paucissimis pro reliquorum numero locis ab eo retentum est. Sed I 3, 2 Ven. ἐδύνατο habet eandemque formam I 4 idem et Clar., IV 129, 4 idem Ven. ἐδυνήθη; uno quod sciam loco IV 33, 2 libri in ἠδυνήθησαν conspirant. In titulis Atticis antiquissima huius augmenti exempla tertii a. Ch. saeculi sunt: ἠβούλοντο CIA II 314, 25, ἠδύνατο ibid. 329, 12; μέλλειν verbi nullum inventum est (ἔμελλον CIA II 834 c 28). Raro in his poëtae scaenici neglecto communi Atticorum usu η augmentum admittunt. Exempla habes Aesch. Prom. 206. Arist. Ran. 1038. Eccl. 597. Sophoclis et Euripidis quod quidem metri necessitas tueatur nullum novi. Propter constantem augmenti usum quem in ceteris cernimus ubique etiam ἠφίει videtur scribendum esse. Nam II 49, 2 id omnes praebent libri, IV 122, 3 E., VIII 41, 2 restituendum est. Contra ἀφίεσαν ubique augmento caret. Cf. Eur. Heracl. 821. II 62, 3 προκεκτημένα scribendum est (προσεκτημένα codd. plerique), non προεκτημένα (sic Gr. et Zonar.), cum alibi Th. saepissime κέκτημαι, nunquam ἔκτημαι dixerit. Cf. Schanzii Proll. ad Plat. XII p. XVIII. Manifesto vitio omissum est augmentum in ἑλληνίσθησαν II 68, 5. Cf. Lob. ad Phryn. p. 380. III 67, 5 solus veram formam παρενόμησαν servavit Gr., reliqui παρηνόμησαν. Nam exempla perfecti et plusquamperfecti apud Atticos quidem scriptores semper reduplicati (Xen. Hist. Gr. II 1, 31 παρενενομήκεσαν, 3, 36 παρανενομηκέναι, Dem. XXI 9 παρενενομήκεσαν, XLIII 71 παρανενομήκασιν, XLIV 31. LIV 2 παρανενομῆσθαι) documento sunt hos ipsam linguae

rationem secutos esse. Longe diversum est παρημέλουν I 25, 3 ex παρά et ἀμελέω ortum. Itaque eadem augmenti forma hic et Lys. III 17 inferenda est quam nunc habes apud Herodot. VII 238. Dem. XVII 22. Aesch. III 77. Quam mature verbi originem ignorare coeperint ostendit παρηνομημένου DS 76, 39, qui titulus in Caria factus est a. 355/4 a. Ch. Attamen Atticis scriptoribus hanc qualiscunque est ignorantiam vix recte imputaveris. Etsi Th. non ἐκάθισα dixit, sed καθῖσα VI 66, 1. VII 82, 3 (cf. Eur. Phoen. 1188. Arist. Ran. 911; in Menand. fragm. 112, 5 καθῖσαν pro ἐκάθισαν rescribere licet), tamen ἐκάθητο V 6, 5, ἐκάθηντο III 97, 2. IV 44, 4 (cf. Arist. Av. 510); quare etiam V 58, 4 ἐκάθηντο alteri scripturae καθῆντο vel κάθηντο (cf. Arist. Eccl. 302) videtur praeferendum esse. III 58, 5 Atticam dialectum εἱσαμένων postulare (εἰσαμένων Pal., reliqui ἑσσαμένων, ἑσαμένων vel ex interpr. ἱδρυσαμένων) Eur. Hipp. 31. Iph. T. 946 ostendunt. Tollendum est augmentum in participio προειδόμενος III 64, 1 tradito; nam quae eius exempla afferebantur (Aesch. I 165. Dem. XIX 233. Dionys. Hal. Ant. I 65. VII 42. Luci. Tox. 39. Cass. Dion. LII 10, 3. LIX 23, 5), ea correxerunt novissimi editores.

Proximum est ut dicatur de verborum terminationibus. Secundam pers. sing. indicativi praesentis et futuri medii vel passivi apud veteres Atticos in ει exisse grammatici (Herod. II 831, 34. schol. Arist. Thesm. 141. Ran. 469. Eustath. p. 641, 6. 1723, 18. Bekk. Anecd. p. 1290) uno consensu affirmant, nisi quod Choeroboscus (Bekk. Anecd. l. l.) tragicos excipit, qui communem formam adhibuerint. Licet autem huius auctoritate confidendum sit (at cf. Dind. praef. ad Poët. scen. p. IX) et tragici antiquiorem usum retinuerint (primitivum enim erat ῃ pro εαι), tamen de reliquis Atticis scriptoribus non est dubitandum quin eam formam in ει terminaverint, quod de Aristophane diserte testatur Eustath. p. 1723, 18. Noli enim credere totum hoc praeceptum repetendum esse a grammaticorum incuria atque ignorantia veterem scripturam EI prave accipientium. Cum enim Ionica litteratura multo prius in privato quam in publico usu esset (certe enim Euripides, ut iam monuimus, et Agathon, ut ex eius fragm. 4 apparet, eam adhibuerunt, neque minus in inscriptionibus[1]) res cernitur), iam in veteribus Atticorum scriptorum exem-

1) Ex titulis sepulcralibus apud Atticos Ionicam litteraturam iam circa medium quintum a. Ch. saeculum in usu privato fuisse cognoscitur, qua de re cf. Koehler — die attischen Grabsteine (Mitt. des deutschen archäol. Inst. X) p. 378.

plaribus ει et η distincte poterant scripta esse idque animadvertere grammatici Alexandrini, ex quorum doctrina posteriores sua magnam partem hauserunt. Neque contra dicendum est illegitimam hanc esse εαι vocalium contractionem. Nam hodie nemo est qui nesciat quantum in talibus grassata sit falsa analogia, et distinguendi causa secundam pers. sing. indicativi et coniunctivi medii vel passivi ad similitudinem tertiae sing. ind. et coniunct. activi formabant. Inscriptionum exempla quibus res demonstretur non exstant. Apud Th. igitur recipiendum est ἡγεῖ VI 14, 1 ex Pal. et Gr., emendandum ὑπισχνῇ I 129, 3. Verborum contractorum singularis opt. praes. forma Attica in ην, ης, η exit eaque Th. ubique usum esse apparet. Eae enim cum satis frequentes apud eum sint, perpaucae restant quae emendatione egeant. Nam II 79, 9 δοκοίη in m. est, IV 105, 1 Pal. pro προσχωροῖ habet προχωροίη, unde patet προσχωροίη legendum esse; δοκοῖ in δοκοίη corrigendum est II 100, 6. III 16, 1. Tragicos poëtas constat alteras formas quanquam rarius admisisse (cf. Aesch. Prom. 978. Ag. 1328. Soph. Ai. 314. OC. 405. 505. 1769. Ant. 552. Phil. 671. 895. 1044. Eur. Androm. 679. Hel. 157. Hipp. 336. Or. 1517), quibus comici prorsus abstinuerunt. Cf. Weckl. Cur. epigr. p. 33 Rutherf. ad Phryn. p. 442 sqq. Neque minus certum est optativorum in ην dualem et pluralem a veteribus Atticis ubique contractum esse. Formarum enim solutarum exempla apud Aeschylum et Sophoclem nulla tradita sunt; in uno Aristophaneo, Ran. 1448, recepta cod. Ven. scriptura τούτοισι χρησαίμεσθ' ἴσως σωθείημεν ἄν (χρησαίμεσθα omisso ἴσως Rav.) metrum σωθεῖμεν postulat; tria Euripidea correcta sunt, Hel. 1010 ἀδικοίημεν ἄν a Porsono in ἀδικοίην νιν ἄν, Cycl. 143 δρῴημεν ἄν in ξυνδρῷμεν ἄν a Dawesio, Ion. 943 φαίημεν ἄν in ξυμφαῖμεν ἄν a Dindorfio, atque in duobus postremis exemplis ipsa sententia composita postulat. Cf. Rutherf. ad Phryn. p. 451 sqq. Verissime igitur Heraclides Milesius apud Eustath. p. 1907, 45 (fragm. 47 apud Cohn. in Stud. Berolin. I) ἡ ἀρχαία 'Ατθὶς τὰ εὐκτικὰ συγκόπτει κατ' ἐξαίρεσιν μιᾶς συλλαβῆς ... κοσμηθεῖμεν καὶ διακριθεῖμεν καὶ εἶμεν λέγοντες καὶ τὰ τούτων δεύτερα κοσμηθεῖτε καὶ διακριθεῖτε καὶ εἶτε. Itaque apud Th. εἶμεν I 33, 3, εἶεν I 9, 4. II 72, 2. III 22, 3. IV 96, 3, ἐκπεμφθεῖεν I 38, 1, σφαλεῖεν II 43, 1, σφαλεῖμεν VI 11, 4, πεισθεῖεν III 42, 4. VI 64, 1, ξυμβαῖμεν IV 61, 7, γνωσθεῖεν VI 64, 1, διασωθεῖτε VII 78, 7, φαῖεν VIII 53, 3 restituenda sunt. Neque magis tolerandae sunt tertia sing. et plur. optat. aor. in σαι et σαιεν. Nam in diverbiis poëtarum scaenicorum secundae tantum personae in

αις exempla inveniuntur, apud tragicos duo Euripidea (nam Med. 1109 neque in diverbio est et ibi Prinzius recte scripturam κυρήσει praetulit), quae facillimo negotio corrigi queant (legatur enim Med. 325 ἀναπείσεις ποτέ pro ἂν πείσαις ποτέ et Iph. T. 1184 σώσῃς pro σώσαις), apud Aristophanem quattuor quae quidem removeri nequeant, quorum duo (Vesp. 572. 726) in anapaestis sunt eaque re excusationem habent (cf. Rutherf. ad Phryn. p. 51), duo in Pluto fabula (1036. 1134). Cf. Rutherf. l. l. p. 423 sqq. Itaque non solum III 49, 3 φθάσειαν pro φθάσαιεν et V 111, 1 νομίσειαν pro νομίσαιεν, sed etiam II 49, 3 στηρίξειεν pro στηρίξαι et II 84, 2 ἐκπνεύσειεν pro ἐκπνεύσαι reponenda sunt; IV 62, 2 autem, qui locus etiam alio vitio corruptus est, Herwerdenus certissima emendatione infinitivos παῦσαι et ξυνδιασῶσαι restituit. Macedonicae aetatis esse imperativorum formas in ωσαν veteres Atticae inscriptiones (cf. Meisterh. § 39, 7) et poëtarum scaenicorum sermo uno consensu affirmant (Eur. Iph. T. 1480 facilis est emendatio εἰς σὴν ἰόντων pro ἴτωσαν εἰς σήν). Quare I 34, 1 μαθόντων, III 39, 6 κολασθέντων, III 67, 2 ὠφελείσθων, IV 92, 7 κτάσθων restitui debet; pro ἔστωσαν, quod VIII 18, 3 traditum est, in Atticis quidem titulis est ὄντων (Meisterh. § 42, 2, 2), sed cum inde factum esse ἔστωσαν minus veri sit simile, ἔστων rescribendum esse putamus, quod neque omnino ab Atticorum consuetudine videtur alienum fuisse (cf. Plat. Rep. 502 a. Legg. 759 e) et, si fuisset, in foedere Lacedaemoniorum cum Tissapherne eandem excusationem haberet atque ἦν et ἐπήν. Terminationem Doricam, quam Attici constanter adhibuerunt futuro πεσοῦμαι, poëtae scaenici ubi metrum postulabat etiam in φευξοῦμαι (Eur. Med. 338. 341. 346. Hel. 500. 1041. Arist. Ach. 1129. Av. 932. Nub. 443. Plut. 447. 496) et πνευσοῦμαι (Arist. Ran. 1221) admiserunt (peculiare enim est κλαυσοῦμαι in hexametris positum Arist. Pac. 1081), neque intellegitur cur quod in aliis verbis non fecerunt in his sibi concesserint, nisi per ipsius Attici sermonis usum id licuisset. Quod si ita est, ne hoc quidem videtur negari posse, idem in verbo πλεῖν factum esse, cuius futurum πλευσοῦμαι apud Th. Xenophontem Demosthenem identidem traditum est. Poëtarum scaenicorum usu in hoc verbo nihil decernitur, cum simplicis nulla apud eos exempla exstent, compositi unum συμπλεύσομαι Eur. Hel. 1067, cuius forma Dorica omnino extra metrum tragici dialogi est. Itaque nimium videtur contendere Rutherf. l. l. p. 93. Optimorum codd. auctoritate commendantur optativi ad similitudinem verborum contractorum formati ἐπιθοίμεθα, ἐπι-

θοῖντο, ξυνεπιθοῖντο, προοῖντο, προθοῖτο, nisi quod tertiae personae partim falso προπαροξύνονται, quod idem perperam in coniunctivis ἐπιθῶνται, ἐπιθῆται, ξυνθῶνται, προῆσθε, προσθῆσθε fieri Herod. I 462, 1 praecepto cognoscitur. Aoristorum ἔθηκα et ἔδωκα in titulis Atticis ante a. 376 a. Ch. singularis tantum activi exstat (cf. Meisterh. § 42, 3) neque aliter hi et aor. ἧκα in Aeschyli et Sophoclis tragoediis leguntur. Aristophanes quoque reliquis formis abstinuisse videtur, cum Ach. 101 ξυνείκαθ' pro ξυνήκαθ' ponere liceat et quod in anapaestis Nub. 908 legitur ἐντειναμένους τὴν ἁρμονίαν ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν non solum hac ipsa re excusationem habeat, sed etiam eo quod ille carmini lyrico, fortasse uni eorum quae proximo versu memoravit, alludere videtur. Neque in fragmentis poëtarum veteris comoediae ullum eiusmodi exemplum exstat. Complura apud Euripidem sunt, ita ut hic talia primus in sermonem poësis scaenicae recepisse videatur. Cf. ἀνῆκαν Bacch. 458, καθῆκαν Ion. 1200, ἔθηκαν Herc. 590. Hec. 1156. Phoen. 30. Or. 1166. 1641, ἐδώκαμεν Cycl. 296, προυδώκαμεν Heracl. 463, ἐξέδωκαν Heracl. 319, παρέδωκαν Med. 629, προσηκάμην El. 622. Etiam Th. antiquiorem usum videtur secutus esse, cum constanter apud eum ἔθεσαν et ἔδοσαν, et simplicia et composita, legantur, nisi quod V 32, 1 M. ἔδωκαν pro ἔδοσαν habet, quod sine dubio librario debetur recentiorem formam pro antiquiore substituenti. Itaque ne παρῆκαν quidem IV 38, 1 et ἀφῆκαν VII 19, 4 apud eum videtur tolerandum esse, praesertim cum priore loco codd. scriptura fluctuet (παρῆκον Vat. Pal., παρεῖκον corr. It. Aug., παρεῖκαν b. D.), sed rescribendum παρεῖσαν et ἀφεῖσαν, pariter atque reliquis locis ἀνεῖσαν V 32, 4, ἀφεῖσαν V 81, 1. VII 53, 4 traditum est. Perfecti et plusquamperfecti activi verbi ἵστημι longiores formas praeter breviores in usu fuisse et inscriptiones (Meisterh. § 42, 4 c) et poëtarum scaenicorum usus (cf. Soph. Ai. 1074. Eur. Cycl. 681. Hel. 438. fragm. 994. Arist. Av. 554) comprobant. Quod ad eiusdem verbi participium attinet, III 9, 1 τὸ καθεστὼς et IV 10, 1 τὸ περιεστὼς (v. l. τὸ καθεστὸς et τὸ περιεστὸς) scribendum esse et eo apparet quod neutrum ἑστώς ex ἑσταός factum est et, ut docuit Riemannus (Bull. de corresp. Hellén. III p. 441 sq.), grammaticorum testimoniis (Etym. magn. 224, 9. Crameri Anecd. II p. 111. 152) confirmatur. In suspicionem non videntur vocanda esse ἀπολλύουσι pro ἀπολλύασι IV 25, 5 et ὤμνυον pro ὤμνυσαν V 19, 2. 24, 1, quia in Arist. Plut. 719 συμπαραμιγνύων metro defenditur. De inscriptionibus dubium quidem est num CIA I 93, 11 ⟨ἀμ⟩φιεννύουσιν an ⟨ἀμ⟩-

φιεννύωσιν legendum sit, sed ὤμνυον est in CIA II 160, 3 (336 a. Ch.); quod vero in duabus antiquioribus CIA IV 71, 24. 116 d 5 ὀμνύντων, ὀμνύτ⟨ω⟩ exaratum est, id in tanta exemplorum paucitate haud multum valet. Neque minus dubitamus num I 22, 3 cum Herwerdeno παρῆ pro παρῆν scribere necessarium sit. Nam primam pers. ἦν agnoscit Herod. II 835, 17 duo afferens exempla, unum Arist. Plut. 28, ubi ἦ hiatum efficeret, alterum ex Menandro (fragm. 100). Accedunt Arist. Plut. 659. 822. Eur. Alc. 655. Hipp. 1012. Iph. A. 944. Ion. 280, ubi item insequenti vocali ἦν necessarium est. Imperfecti verbi ἰέναι tertiam pers. ᾖσαν esse tribus potissimum de causis statuendum est. Primum enim poëtae scaenici ᾖμεν (Aesch. fragm. 171 Dind. Eur. Androm. 1102. El. 775. Arist. Plut. 659. Call. fragm. 17 Kock.), ᾖτε (Eur. Cycl. 40), ᾖσαν (Arist. Equ. 605. fragm. 161 Kock. Agath. fragm. 1. Theodect. fragm. 8) formas exhibent inter se plane consentientes; deinde Th. ᾖσαν dixisse diserto testimonio schol. ad Plat. de Rep. 449 a constat, quod prope totum Suid. s. v. ᾖα exscripsit et sic legendum est: ᾖα δισυλλάβως τὸ ἐπορευόμην. σὺν τῷ ἰῶτα γράφεται· οἱ γοῦν Ἴωνες ἠΐα λέγουσι· καὶ ᾖσαν (codd. ι adscripto ἤισαν) τὸ ἤεσαν (codd. ἤεσαν)· καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ οὕτως ἀναγνωστέον· ὅτι ἀκμάζοντες ᾖσαν (codd. ἤισαν) ἐς αὐτόν· οἱ δὲ Ἴωνες ἤεσαν (codd. ἤεσαν) καὶ ἠΐσαν; denique ᾖσαν non solum I 1, 1 servatum est in Aug., ubi ι adscripto ᾖισαν legitur, et ex correctura scriptum in m., sed etiam ἤεσαν librariis et sermoni communi deberi inde apparet quod eam formam etiam pro ᾖσαν intulerunt ubi id ab ἰέναι profectum esse opinarentur (sic IV 39, 2. 42, 3 ἀπήεσαν pro ἀπῆσαν traditum est). Simile atque in ἤεσαν in ἐδεδίεσαν (IV 55, 3. V 14, 2) vitium est. Ad δέδιμεν enim et δέδιτε (III 53, 4. 56, 6. 57, 4. IV 126, 3) ἐδέδισαν convenit. Cf. Phryn. p. 180 λέγε τετρασυλλάβως ἄνευ τοῦ ε ἐδέδισαν. Eodem vitio III 53, 4 in uno cod. δεδίαμεν scriptum est. Sed non assentior Herwerdeno ἐδεδοίκεσαν improbanti, quod idem in Xen. Anab. III 53, 4 traditum est. Cf. δεδοίκατε Arist. Eccl. 181.

Pro διεζωσμένοι, quod I 6, 5 omnes libri praebent, διεζωμένοι a Th. scriptum esse et Suid. s. v. σέσωται testatur et inscriptiones confirmant (cf. Meisterh. § 43, 12). Eodem vitio in omnibus fere libris III 54, 1 δεδρασμένων legitur. Nam ut δρᾶμα sic δέδραμαι, neque altera forma aoristo ἐδράσθην (III 38, 4. VI 53, 2; cf. δραστήριος, δραστικός) stabilitur. Cf. enim κέκλημαι ἐκλήσθην et ἔρρωμαι ἐρρώσθην. Cum igitur in talibus σ a librariis profectum esse appareat, IV 26, 5 ἀληλεμένον (v. l. ἀληλεσμένον) vera

scriptura est, quod confirmat Amphidis comici fragm. 9. Contrario vitio II 92, 1 in duobus libris κελεύματος scribitur pro κελεύσματος. Cf. κεκέλευσμαι. Atticum non esse τάμωμεν, quod I 81, 6 in libris traditum est, sed τέμωμεν inscriptiones docent (Meisterh. § 43, 24). Neque magis κεκμηῶτας pro κεκμηκότας in plerisque libris scriptum III 59, 2. Cf. Eustath. p. 641, 2. Poll. III 106. Contra Atticis prorsus inusitatas fuisse formas ἐοικότες (III 38, 5) ἐοικώς (VIII 71, 2) ἐοικέναι pro εἰκότες εἰκώς εἰκέναι, quod contendit Herwerdenus, non satis videtur constare. Nam haec per falsam analogiam ad singularem ἔοικα eadem ratione accommodata esse possunt qua in ἔοιγμεν (Soph. Ai. 1239. Eur. Heracl. 427. 681. Cycl. 99) indidem οι pro ι irrepsit (Cf. G. Mey. Gr. Gr. § 549 sq.) Nec desunt quae rem firment poëtarum exempla. Licet enim salvo metro in Arist. Vesp. 1142 et fragm. 646 Kock. pro ἐοικέναι possit προσεικέναι poni, tamen miro casu duobus diversissimis locis idem vitium exstitisset. Itaque ne in Soph. quidem fragm. 682 Dind. σκιαῖς ἐοικότες in σκιαῖσιν εἰκότες mutandum esse putamus. Contra falso codd. VI 55, 2 ἀπεοικότως, cum reliquis locis omnibus Th. εἰκότως et ἀπεικότως (I 73, 1. II 8, 1. VIII 68, 4) habeat. Veteres Attici utrum ἐπιμέλομαι an ἐπιμελοῦμαι vel utrumque dixerint ex titulis ante Euclidem factis diiudicari nequit. Postea inde ab a. 369 a. Ch. invenitur ἐπιμελοῦμαι, sed ἐπιμέλομαι etiam a. 322 a. Ch. (cf. Meisterh. § 43, 11). Neque ex poëtarum scaenicorum usu res certo cognoscitur. Nam legitur quidem ἐπιμελούμεθα in Eur. Phoen. 556, sed in versibus a Nauckio eiectis, et in Arist. Vesp. 154. Plut. 1117 per metrum ἐπιμέλου et ἐπεμέλεσθ' scribere licet. Certum est Th. ubique μεταμέλεσθαι dixisse. Ad quod cum conveniant verbi ἐπιμέλεσθαι formae quibus usus est VI 54, 6. VII 39, 2, reliquis locis (IV 118, 3. VI 91, 5. VII 8, 3. VIII 39, 2) corrigendum esse censemus. Praesentis αἴσθομαι nullum apud Th. invenitur vestigium quin in solo accentus discrimine id consistat. Nam αἴσθεσθαι V 26, 5. VI 58, 1. VII 75, 2 aliquot boni codd., pauciores προαίσθεσθαι II 93, 4. III 83, 4. Cum igitur ne consentiat quidem librorum memoria, aoristi infinitivus ubique restituendus est. Idem valet in ἀπέχθεσθαι I 136, 1 omnium librorum consensu tradito. Cum enim alibi praesens sit ἀπεχθάνομαι, aoristi infinitivus ἀπεχθέσθαι rescribendus est ad sententiam optime conveniens.